


DE CORRUPTIS moribus utriusq; partis, Catholicorum uidelicet & hæreticorum.

DIALOGVS LECTV IOCVN.

dus & ualde utilis.
 2. Timoth: 4.
 oportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina,
 Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt.

Proverb: 26.

Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens
 esse uideatur.



DE CORRABIES

Ezech: iii.

Sidicēte me ad impium, morte morieris non annuntiaueris e^m, neq^z locutus fueris, ut auertatur à uia sua impia, & uiuat: ipse impius in iniustitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaueris impiο, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à uia sua impia: ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.

VINDOI Prouerb: xxvij.

Qui dicunt impiο iustus es: maledicent eis populi & detesta-
buntur eos tribus: qui arguunt eum, laudabuntur & super
ipsos ueniet benedictio.



20221202

De corruptis moribus u=

TRIVSQVE PARTIS, CA-

tholicorum uidelicet & hæreticorum,
DI A LOGVS.

Fœlix Parochus Catholicus, & Syluester Prædi-
cator Lutheranicus.

SYluester.

. Salve Felix. Felix. Saluus fistu-
quoꝝ. Syl: Sed uideris tu me non agnoscere amplius? Fe-
Ita plane est. Non sane te agnosco. Syl: Sodalisne tua es
oblitus tui, & quondam in communibus literarum studijs Cra-
couiæ condiscipuli? Felix. Reducis tu uero memoriam mi-
bi, non solum amicitiae nostræ & consuetudinis, sed etiam apo-
stasiæ tuæ. Sed hoc omitto. Unde tu nobis hac in uilla ades?
Syl: E Pinczouia hodie profectus sum, aliquanto tardius
quam oportuit fieri. Cum igitur me proficisci ente nox hic op-
pressisset, ad te diuerti placuit: Nam fatus lege ueteris ami-
citiae nostræ, credidi id tibi fore non ingratum. Felix. Non
ingratum quidem, sane quod ad me attinet, sed non ualde gra-
tum tamen, si officium spæcles meum: Catholicus enim sum, tu
Lutheranus, imo ut proprius accedam ad rem, ego pastor ouia-
rum, tu lupus gregis mei: à fide enim tu nostra, maiorūq; nostro-
rum defecisti. Sylue: Importune ista nunc abste in hospi-

tem dici uidentur, uenter enim præsertim ieuumis, aires non
habet. Nec iam nunc opus est tam obiurgantis poena, quam
cœna esurientis, Felix. Reclè sane admones. Syl: I am
familis mandatum est, ne quid desit iuri hospitalitatis: Sed
interea si libet in hoc musæo meo confideamus tantisper, do
nec cœna paretur. Syl: Placet. Felix. Tu uero ex Pin
czouia quid aduers noui? Syl: Nihil admodum. Illic fui
se scis Ioannem Lascum & Frāciscum Stancarum, utrumq;
eo missum à nobilitate gentis nostræ, ut renascentis Euangelij
dogmata, certo aliquo doctrinæ genere compræhendant, ac
deletis ueterum superstitutionibus ac ritibus, nouam quandam
describant Ecclesiae normam ac gubernationem. Felix.
Congregatos fuisse istos nouos Poloniae apostolos eo in oppi-
do, audiuius hic, dictumq;, simul male inter eos conuenisse.
Syl: Imò pessime, Tametsi non lubens quidem ut de nostris, sed
tamen quia uerum dissimulare non possum. Cum essent in ipso
Euangelicæ doctrinæ tractatu, nescio quis malus genius di-
scordiæ semina sparsit inter hæc duo orbis lumina, Ioannem
dico Lascū & Franciscū Stancarū. Nam in cursu dispu-
tationis, quæ inter eos fuit acerrima, ita interfese excāauerunt,
ut cum neuter alteri uellet cedere, cruenta exorta sit contētio,
Lascus enim, ut uir generofus, garrulitatē Mantuanī Iudæi
non ferens, ualde commotus initio, & cum alter rixandi si-
nem non faceret, mox arrepto codice euangeliorum, Stancaro
craneum propemodū collisit, nimirū ut castigaret uerbo Dei,
Itali hominis petulantiam. Fælix, Eane lenitas fuit spiritus
inter

inter nouos Poloniæ apostolos? Syl: Quid lenitas? immo ciu-
enta pugna secuta est. Illi enim qui Lascum comitati, Pin-
czouic aderant, uicissimq; ij qui Stancarum (nec paruus nu-
merus fuit utriusq; partis) strictis gladijs, mutuisq; animorum
contentionibus, inter se ita dimicarunt, pro contrarijs euange-
lij opinionibus, ut nobilium multi uulnerati, aliqui etiam inter-
fecti prædidentur. Fælix. Funestum auspicium noui euange-
lij. Qua de re fuit contentio? De magno necesse fuit, de
paruo non potuit. Syl: Ego uero quamvis arcaniora ista,
propter ingenij mei ruditatem non intelligo, propter reueren-
tiam tantorum uirorum non scrutor, tamen quantum fama fert
publica, ipseq; adeo rumor in hospitijs nobilium concitatus, in-
tellexi de præcipuis Christianæ fidei articulis litem esse. I^r
terq; licet in Eucharistiæ Sacramento nil, nisi tropū esse ue-
lit, alter tamen hunc eundem tropum, adeo tropo ad se rapit:
Stācarus enim arrabonem corporis dicit, Lascus nil nisi cor-
poris signum. Fælix. Scio discordes illos esse de hoc Sacra-
mento & in alijs rebus pariter. Syl. Ita est ut dicis: dissen-
tiunt enim non solum in re Sacramentaria, sed etiam in arti-
culo iustificationis, ut de libero arbitrio, de peccato, de iusti-
tia, de fide & operibus, itemq; de iustificatore Chriflo, de ec-
clesia, de numero sacramentorum, multisq; rebus alijs: quas hic
longum esset recensere. Fælix. Itane uestri noui apostoli di-
scordes sunt? Syl: Plane, sed quid hoc ad euangelium? Mo-
res isti sunt istorum hominum, non doctrina apostolorum. Fæ:
Si hoc ita statuitis esse, quo loco tu habes Syluester uel Stan-

cari uel Easij doctrinam? Syl: Ego uero utriusq; doctrinam, ut euangelium amplector. Fælix. Vtriusq; ne simul, an alterius duntaxat? Syl: Quid opus est captiosa ista interrogatione tua? Fælix. Nulla fraus est ne metuas, aut enim utriusq; doctrina, purum, putū Christi euangelium est, & nulla inter eos de hoc discordia, aut discordia inter eos de eo est, & non purum, non putū, non uerum euangelium: etenim Deus cum author sit euangeli, & non author discordiae, necesse est, ut sicut hanc detestatur, quæ ipsius non est, sic illud quia amat, ipsius proprium esse oportuerit. Syl: Mihi quidem uero Fælix, non adeò pugnans discordia ista uidetur, ut propterea uel alteruter, uel neuter uerè queat dici euangelicus. Quia de re tamen, ne conscientiam onerem meam, nolo admodum contendere: non enim tam dispicio, quid peccent nostri, quā quid soleant uestrates delinquer: quorum uita, ipsa turpitudine est turpior. Fælix. Alio tu me abducis Sylvestter: etenim non eadem est de doctrina Ecclesiæ quæ de moribus cleri, oratio. Quare ut quod de dogmatibus cæperas, ad mores torsisti, non auerter: quæro abs te quæ tandem sit illa Catholicæ Cleri tam fœda, tamq; immanis turpitudo? nam si recto iudicio utriusq; partis mores perspexi: arbitror neutrā alteri longè anteponendam esse. Syl. Si placet experiamur, uestrorum ne an euangelicorum uita sit laudabilior. Fælix. Placet. Syl: Sed unde uis ordiamur? Variæ enim cum sint materie uel fordes potius, quarum cœno Papisticorum sacerdotū uita uolutat. Fælix. Iuuero te. Ab ipso ordire principio adipiscendi

Scendi sacerdotij, hæc etenim uia, primam aperire solet ad omne genus uitiorum ianuam nostro clero. Syl. Obsequar tibi,
¶ ita faciam. Quæso te dic ingenuè Fœlix, quis nunc uestrorum animo eo capessit, ut decet sacerdotium, pietatis uidelicet causa, ac suæ erga Deum deuotionis? Vnde ideo e quidem uestri ordinis plerosq; quorum alij re sua familiari domi comeſta et decocta, ideo inhiant Ecclesiasticis bonis, famem ut expleant, inopiam ut fugiant: idq; tam aperte quidem, ut nunc in genere de cunctis rectius dici possit, quam olim de monachis: Sacerdotem facit desperatio. Alij cum uideant in eo uitæ genere omnia licere impunè, nullū ferme scelus poenis coerceri, huc uelut ad fœdissimæ uoluptatis patrocinium confugiunt. Hic scopeus cunctis fere peculiaris est atq; communis. Nam si diuini cultus exercendi gratia hic adspirarent, non illi istis, quibus nunc utuntur, artibus sacerdotia uenarentur. Quid enim usitatus nunc est, quam bis conferre Ecclesiæ beneficia, qui non quia uirtute polleat, literisq; sint egregie instituti, sed quia diu famulati sint, fideliter Episcoporum redditus procurarint, außerint, gænicea prælatorum, arte temperauerint, uel quia sine agnati, sint affines, sint domestici lurcones nostri, qui ad colendum Bachum & Cererem magis idonei habeantur, quam ad cultum diuinū, docendum populū, ad gubernationem Ecclesiæ: ideo istis uideas Episcopos malle sacerdotia, quam pijs eruditisq; uiris conferre. Sunt etiam nonnulli, qui uel eam ob causā, turpisimos quosq; faciunt sacerdotes, ac legunt Canonicos: ut cum Capitulu talium spurcissimorum colluuii refertum est.

Epi-

Episcopi possint, partim talium capitularium ignavia ac tur-
pitudine, partim detestatione populi, ecclesiastica bona, iura,
privilegia, & cimelia thesaurorum surripere, in priuatum cō
uertere usum, ac deniq; eadem ista occasione, haereticis prode-
re religionem ac fidem Christi. Fœlix. Verum tu quidem
ista Syluester, non enim possum quod uerum est diffiteri. Na-
memini uersiculos rudes Jane, sed scitu non indignos, me audire
a maioribus nostris recitari.

Mos est prælatis, præbendas non dare gratis,
Sed bene nummatis, aut eorum sanguine natis.

Itaq; uidemus non modo indignis donari optima ecclesie mil-
nera, sed etiam turpiter Symonis magi exemplo, diuendi pecu-
nijs. Sed haec tu Syluester cū nobis exprobras, putasne tuos se-
clarios horum uitiorum immunes esse? Fœlix. Ego uero non
opinor. Syl: Cupio audire. Fœlix. Mos Syluester, qui a
Canonicos non habetis, prælatos abieciatis, parochos solum
modo retinuitis, & nescio quos ecclesiæ ministros, & loco E-
piscoporū uobis superintendentes extiterunt. An horum nulli,
uel potius non maxima pars illorum, non irrepunt in ecclesiæ
uestras, alij fraude, alij fauore, & munerum corruptelis? Esto
autem quod Symonian non ita ut nostrates exercere possitis, no-
desunt tamē fraudis artificia. Scimus multis in locis, superin-
tendentes, non ligatis manicis suos clientes in pinguiores paro-
chias introducere. Quin & ipsi Vitebergenses apostoli, unde
eas tantas adepti opes sunt, si alienæ fraudis munuscula asper-
nantur? Memini cum Pomeranus Apostolus redierit ex

Danis

Dania, transuersusque per sinum Balthici maris non absq; pe-
riculo tempestatis, fertur dixisse, cum in Cymbrici Chersonese
si litus expositus esset: Tu habeas meum euangelium Dania,
ego pecuniam tuā: Vale. Edidit is pater, capto eleētore Io-
anne Friderico, scriptum bene longum, in quo non potuit ine-
ptius senex avaritiæ sua dolos tegere. Sed mortuis quietem pre-
cemur, de uiuis loquamur. Nec est quod admodum nobis obij-
cias Syluester, Episcoporum aut seruulis aut agnatis, Eccle-
siae functiones & opes simul dari: nam ea in parte uestrī pec-
cant multò grauius. Solent iam Ecclesiarum patroni, qui ha-
bent ius conferendi apud uos, si habent talem quempiam in pa-
rochia parochum, qui non omnia facit ad nutum domini, solent
inquam illi eiusmodi expellere, & accersere alium, siue sar-
clorem, siue calciarium, siue fartorem, siue licetorem aut carni-
ficem, alios siue generis eiusdem, quibus cum paciscuntur, tanq;
diuini laboris mercedem. Interea isti illi fideles patroni, agros
parochiaē proprios, alienant, sibi ascribunt, Censis ecclesiæ
præripiunt, paupertatem uero miseriamq; solam, relinquunt no-
uitio parocho. Quales autē isti sint et quam fideles pastores, pa-
cta merces ostendit, esse mercenarios, quibus reūtius forsitan
coruos pascendos commiseris, quam animas Christifidelium.
Estne res indignissima? ancilla aliqua aut mulier ellam emptu-
ra, pulsu digiti prius explorat & sonitu, solidane sit, aut fati-
scens olla: Uestri autē parochos suos, quos conducūt, ut sint a-
nimæ salutis curatores, non explorant, idoneine sint an inepti,
bonesti an turpes, sed id operam dant solum, ne eos cogantur

magno conducere. Ita sit ut parochi uestrates in uillis pr.e ser-
tim & oppidulis hara purgādæ, quam administranda aræ sint
habiliores. SY LV E: Apud nos ista quidem sunt &
grandiora etiam quam dicis, sed nunqpt tamen tantis in rebus
quemadmodum in papatu solet delinqui. Meminimus enim, cū
regalis persona quedam, specie ioci quidem, sed occulte, serio
tamen ad quendam sue aula domesticum diceret: Certabo te-
cum depositis uiginti millibus, te Episcopum fore breui, eo in
quo scis loco, obluctabatur sane aulicus rem impossibilem uide-
ri, se ad eius dignitatis gradū posse peruenire, sed tamen, si ita
uideretur, se ita curaturum ut primo quoqp tempore, eam auri-
uim deponat. Nam utcunqp res ceciderit, se non certaturum si-
ne præmio, siue uincat siue perdat. Nam si Episcopatus non
obtigerit, se uiginti millia ducatorum lucraturū sin contra ob-
tigerit, se citra magnū damnum, perdere eandem pecuniae sū-
mā. Quid uero Felix? legitimane isthæc ē ad Episcopatū uia?
per te clumne ille an per ianuam intravit? FELIX. Ea
uia intrare conabatur Ananias, sed utinam eodem Spiritus
sancti gladio tales helluones conficerentur, quo Ananias con-
fossus, interijs, in conspectu Petri. SY LV E. De
ijslo sacerdotum auspicio, quo primum se in ecclesiastica munera
ra ingerunt, satis dilectum esto. I am ita dispiciendum uidetur,
qua prima sint, postqp beneficia sunt adepti, studia administran-
di muneris: si licet apud te Felix quod uerum est dicere. Ex.
Licet, & libere quidem. Syl. Animaduerti equidem eam
esse omnium curam primam, ut sedulò perquirant, quām ampli-
fint

sint, & qui nam annui redditus. Si est Episcopus, ex numero
reddituum, init rationem, constituenda aulae sue. Initio
magnæ est curæ, ut sint aliquot equites nobiles, qui consciens
uestibus, caligisq; serico subfarcinato, ad talos usq; defluenti-
bus, et decurtato ad nates usq; pallio induiti, prælōgo gladio ac
cincti, uel alligati potius, torquibus aureis ornati, pileo Mo-
schouitico acuminato, plumis circum caput uolutantibus obte-
cti, & alijs eiusdem generis monstrosis nænijs conspicui, in pa-
lacio Episcopali frequentes conspiciantur ad mensam circu-
stant & ad aram, tali ornatu, ad decorum Episcopale, & ad
exemplum pietatis, compositi. Hinc continuo & alia est solli-
citudo, ut abacus sit extructus in multo argento & cælato au-
ro, poculis diuersi generis, uitris, torneumate, & alijs. Itemq;
alia uasa, omnes patinæ, omnes orbiculi, coclearia, cædelabra,
salina, horum ut nihil non sit argenteum, quod hospitibus appo-
ni debeat: Sed aureum omnino, uel certe de auratum, quo Epi-
scopo utendū, hoc est, ut coclear sit aureū, ut bidēs sit aureus,
orbiculus etiam, & si quid aliud præterea. Et breuiter quidē,
ut nihil in tota mensa sit, præterquam Episcopus, plumbeum.
Nec illud in postremis dicitur, artificiosi cocci ut habeantur,
& nouorum epulorum ingeniosi inuentores, ut denis uicil us,
nouena fercula ad mensam parentur, prædiumq; possit ad ue-
speram usq;, & coena ad dimidiā noctem aut ulterius etiam
perduci. Quin & hoc necessarium, ut sit gigantea & staturæ da-
pfer quispiam, antecedat Marschalculs auro, argentoq;
splendidus, uultuq; seuerus: Itemq; ut iuuenis quispiam & ele-

gans adolescens pocilletur ac prælibet: et huic proximus, qui
carnibus præcidendis ministret, cruribusque diuariacatis (etiam
am si forte honestæ matroneæ et virgines mensæ adsint) lacio
suo infarcinato et prægrandi proximus quadræ immineat.
Et mensa circumquaque circumfusa sit turba aulicorum, pue-
rorumque in primis nobilium, qui exiccata pocula repleant, qui
quadræ commutent, panes reponant, et si quid generis eius-
dem necessarium subministrent, ne uidelicet, quando cum pocu-
lis certamen initur, cesseret sedulitas fundendi, replendi, sugge-
rendi. Episcopus interea discere debet, ab aliquo exercitato
coniuatore, ut sciat quid colloquij cum quolibet inchoandum, ut
si adsint milites, de bellis possit et de castris aliquid dicere: si
sint oeconomi, aut patres familiæ de piscibus, de bovibus, de gal-
linis, anseribus, braxanda cerevisia, et re oeconomica: si mer-
catores, aut iudei, de quæstu, de usura, de permutatione monie-
tæ, de rebus Indianis, de pipere, croco et similibus. Et cum
forte deest garrulus quispiam, aut obscenus coniuator, qui
exhilaret coniuivium, moriones accersuntur, non illi Syriaci,
faceti ut sint: sed crassi et sotici, qui qualibet in re scapham
possint scapham dicere, iam de prioribus Aristotelis, iam de
posterioribus, et à virili partu argumentum ad muliebrem du-
cere.

Nam de his ut possit aliquid in medium afferre
episcopus, peritiæ signum est: ut autem aliquid de sacra theo-
logia, de biblijs, de philosophicis artibus, de historijs Eccle-
siæ, vel rerum publicarum, id scholarium esse uidetur, et bac-
calaurorum in scholis, non Episcoporū munus. Sed haec qua-
dixi

diximus quotidiana conuiuia sunt, audies etiam Felix de festi-
uis & lactioribus. Solent enim quidam, cum carni uolunt nego-
cium facere in ocio (quod faciunt ferè quotidie) adhibent ad
mensam dicaces aliquot, & festiuas mulieres, quæ & risum
possint excitare, & inflammare Venerē, dicterijs scilicet il-
lis, quæ affectus illos, spiritualium hominum, Episcopales com-
mouere possint, retinere non possint. Tametsi non soleam exem-
plis libenter uti, unum tamen recitabo, tibi non minus quam mi-
bi notum. Meministi opinor illius celeberrimi conuiuij, quod
propter uoluptariæ amoenitatis excellētiam, paradyſus appel-
latur: instruxerant enim duo prælati (nomina reticeo) pala-
tiū quoddam, credo Apollinem Luculi, diebus aestiuis, omnique
arborū genere ad quincuncē distinctum, & floribus tapetijs que
sic ornatum, ut aliquam speciē paradyſi præ se ferret: In eo
apparatū conuiuum fuit, fœminæ accessitæ, & sodales con-
similes, pransum eſt, datuumque gulæ tantum cibi & uini, quantū
satis uidebatur ad choreas, ad amores, ad Venerem. Tan-
demque mensis remotis (actas Deo gratias in tali conuiuio quis
dubitat) surrectum eſt, famulitioque exire iusso, clausæ ianuae
sunt, interea pudica illæ Euæ, & duo illi Episcopales A
dam, uestes omnes & industria exuerunt: mox nudæ Euulæ istæ, re-
condiderunt se intra folia arboris uitæ, donec Satyriscum sal-
tare coepissent Episcopales A dami. Qui tamen mox per
frutices, per arbores, per folia quiritantes, uix tandem Euu-
las suas repertas, ad choream protraxerunt, nudi cum nudis,
& cetera quis nescit? Ita nimirum, cum illa hystoria geneſeos

uerbis uix satis explanari possit, quasi in rem præsentem, pra-
xim istius rei, p[ro]ij patres adducere uoluerunt, ut quod prælegens
do non satis assequi uidebantur, actu monstrando euidentius
declararent. An non dignum exemplum c[on]stitione[re] prælato-
rum. Nonne graphicc hanc frugalitatem in uestris prælatis de-
Cap: 5. pinxit Isaias propheta, Consurgunt inquit, ad ebrietatem se-
clandam, & potandum usq[ue] ad uesperā, ut uino aestuent, cytha-
ra & lyra, & tympanum, & tibia, & uinum in coniuicijs eo-
rum, & opus domini non respiciunt: nec opera manuum eius
Cap. 56. respiciunt. Item & alio in loco: Venite sumamus uinum, &
impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras & multo
amplius. Quia so te mi Felix, liceat nobis inter priuatos partie-
tos uerum loqui, nonne talis est uiuendi ratio uestro clero ius-
tata, & propriè quidem quarto modo: quid tibi uidetur? Quid
enim Iulius ille uester, que Tertiū appellatis, cum admonitus
ut Christum curaret, & Epicurū mitteret, tum ille Lassa me
godere di questo papato. Sed his cōmemorandis finem faciā,
ut audiam quid tu in partem possis contrariā. Felix. Ego
uerò, ut reliqua generis eiusdem iniuitus plane, sed tamen ne si-
milium sordium, uestrates euangelicos existimes esse immunes,
uicissitudo colloquij postulat, ut etiam aliquid afferam in media-
um. Primum ut in genere dicam, quid unq[ue] potuisse excogita-
ri, uel ad perniciem honestatis, uel ad exhaustendas priuatas
opes calamitosius, quam omnem tollere legem ieiunij? Quid
quidem ieiunium tantopere nobis scriptura omnis commendat,
ut propter multiplicem eius utilitatem apostolis necessitatē
præbuc

prebuerit, quod aliquibus certis diebus ieiunium indicerent,
omni autem tempore mandarent temperantiam. Hinc extite-
runt ieiunia aliquot, ut quadragesimale, quatuor temporum, ui-
giliarum sanctorum, ieiunium aduentus, & quod in die uene-
ris & sabbati homines abstinerent a carnis, piscibus uesci-
rentur, quod hi minus alimenti haberent, illae plus; unde & li-
bido insurgere solet, & omne genus luxuriæ. Quid autem sub-
latis his salutaribus apostolorum præceptis sequitur est? Cra-
pula infinita, luxus immensus, bellationes quotidianaæ, ebrieta-
tes inusitatæ, commissiones beluinæ, & apud ditiores conui-
uia, quæ multitudine ferculorum naufragant, uino, uarioq; potu-
madent, ac fluitant. Cuius rei si uaria exempla uoles, & docu-
menta cognoscere, legas quæ so cuiusdam Germani euangelici
prædicantis librum, de potatorio dæmonie inscriptum. Deus
bone, qualia portenta ille cōmemorat, quæ ante a ignota fue-
runt, nec primū peperit uestra illa noui euangelij uestri ni per
reperta, horribilium peccatorum uinculis captiuæ libertas. Ta-
metsi etiam ante istud euangelium, ebrietatis gulæq; uitiū græ-
sabatur apud nos in Polonia: nunq; tamen profecto ita fide
increbuerat, sicut nunc regnante euangeliu isto uestro: Quod
cum neget, ulla bona opera ad salutem esse necessaria, imò af-
firmet obesse uehementer, quid aliud isthinc sequi oportebat,
quam si ieiunium non exigitur, crapulari, commissari, inebria-
ri sit licitum? Quam si elemosynæ non prosunt, ut in luxum, in fa-
stum, in splendida ædificia, in superbiam, opes priuatæ cōuerti,
libertas euangelij suadeat: si deniq; nec preces fuerint ad salu-
tem

tem necessarie, quin maledicendi, blasphemandi, conuiciandi
libertas omnibus impune concedi debeat, nemini interdicatur. Si
aut etiam nunc sit, & planè sit nusquam horribilis, quam ubi
nouum cœpit regnare euangelium. Meminimus in multis locis
Germanie, qui mos etiā apud nos nuper inualuit, nunq̄ crebri
ora haberet coniuia, quam aut die Veneris, aut aliqua sancti
vigilia. Festos dies penè omnes uos euangelici abiectis retinuit
stis Bachanalia: quæ etiamsi certis de causis, cum sint Ethni-
ca, retenta fuerunt in Christianismo, suo tamen & idoneo te-
pore. Quid autem uos? Loco mouistis, & quod una hebdoma-
da propter infirmitatem Christianis concedebatur, uos per inte-
grum annum sparsistis, ut queuis septimana, qui uis dies, quod-
uis anni tempus sint Bachanalia. Quoties nos cum magno dolo-
re uidimus, in ipsa magna hebdomada laruis induitos discu-
rere, & crapulæ atq; libidini in ipsa sacra Parasceue ludibili-
dos, diffluere in omni genere obscenitatis ac lasciuiae. Huc
adde, quod nobiles uestri, tanto studio cumulant tabernas in op-
pidis in pagis, in uicis: ut nusq; non sit ebrietati locus & gula,
& obscenitati rusticorum. Cereuisiā coquunt, quæ crepitibus
magis prospicit & ructibus, similibusq; euangelicæ dietæ regulis
accommodata, quam restinguendæ siti. Nec satis est taberna-
riis crudam cereuisiā & fumosam obtrudere, sed etiam cogunt
rusticos, ut nusq; aliundē, sed ex tabernis sui domini caperent
cereuisiā. Addunt huic rusticorum enormi ebrietati chorau-
los & similes phonascos, qui saltatione & tumultu rusticos in-
flammant, reddantq; ad hauriendam malam cerevisiam audi-
res

res, unde demum iurgia orientur, uerbera, cædes, e' qui-
bus omnibus, plurimum lucri dominis accedit, & subdi-
tis magna licentia belluandi, substantiam suam perdendi,
alienis rebus inhibandi. Quid tibi Syluester, uerane' hac
ac falsa uidentur? Syl. Dunt ut dicis: impudentis enim
esset, uelle inficiari, quod cunctis notū, hominis scelerati
defendere, quod flagitiosissimū. Verum esto sit paritas in
ebrietatis uitio utrobiqz, certe in libidinī malo, non fue-
rit: quantum enim libidinī incendium, iam multo tempore
arsit in regno pontificio. Coniugium sacerdotibus ade-
merunt, concesserunt scortandi libertatem, & tot quidem
tamqz foedis modis, ut nullius mens hominis satis cogitare
possit, nullius tantum sit flumen orationis, ut satis effari.
V'isne percurram obiter hoc Theatrum regni uestri?
Felix. V'lo, non enim me, uerum dicens, offenderis:
Syl. Videmini sane non solum uitia hac in re sponte fo-
uere, sed etiam uolare expressum Dei uerbum. Dictum
quidē Pauli est, sed uerbum Dei tamen: Melius est nu-
bere quam uri. V' ds contra: melius est scortari, adultera-
ri, fornicari, quam nubere. Matrimonii enim in sacerdo-
te crimē inexpiable est, scortatio iocularis nugatio, V'e-
rum sicut initio præfati sumus, non tam belle quid in do-
gmatibus uerum sit utrobiqz, uel uter utro, quam experiri
utrius partis sint mores præstantiores. Itaqz dogmata
mittamus, & papismi uestri & euangelij nostri fructus
collustremus. Scimus Felix, olim non modo pietatis, sed

castitatis etiam fuisse maius studium in clero, quam nunc
est. Etiam uestrorum hominū iudicio, is Papa, qui canoni-
cos ex cœnobis, hoc est, ex communi uiuendi societate
primū exemit, deditq; potestatem ut extructis priuatis æ-
dibus, separatim liceret uiuere, tantum malum attulit pu-
dicitiae Cleri, adeoq; erexit liberè scortandi uexillum, ut
nunc apud inferos publicæ libidinis poenas dependere co-
gatur. Fœlix Quid? Monachine fuerunt Canonici
quondam? Syl. Monachi prorsus. Apud nos in Po-
lonia, quia tardius hic Christianismus peruenit, nulla ad
modū extant eius rei uestigia, in Germania autem & ali-
bi passim, monumenta certa reperias. Vidi isti ne porticus
illas quadratas ad Cathedrales summorum templorū ba-
silicas? Fœlix. Vidi, maxime ad Rhenum cum fui.
Syl. Hæ porticus communis cœnobij normam demon-
strant. Nam proximis epistiliorum contignationibus cel-
lulae adhuc uisuntur, quæ singulis Canonicis singulæ fuerūt
olim. Quin adhuc passim uideas, commune aliquod penes
easdem porticus dormitorium, & refectorium pariter,
sic enim illi suum cœnaculum appellabant. Et ipse habita-
tionis Canonicorum locus, à domo Germanis nomen ha-
bet, quin & ipsi Canonici Domhern quasi domini unius
domus & societatis appellantur. Quæ sane ædificiorum
forma, & uocabuli, normam nobis sanctioris discipli-
næ, ob oculos quasi opponit. Mater nequitie est solitudo,
& remotis arbitris anceps occasio. Ex una popina come-
debant

Domher-
ren.

debant, ex uno cellario bibebant omnes, idq; eodē in loco.
Eodēq; uno in loco, diuersis quidem cellulis inclusi, iſdem
tamen parietibus septo dormitabant. Omnia hæc & ca-
stitatis erant, & sobrietatis indicia. Nunc uero quid: te-
det reminisci, pudet dicere. Quam autem probabilis excu-
satio. Nam cum uotum nullo pacto liceat frangere, hone-
stane specie uoti iuris iurandi satis factum est, quod ex su-
perfluentibus copijs, Canonici alios Canonicos institue-
runt regulares, ut ipsis liceret irregulariter uiuere? Fœ:
Nescio quorsū ista dicas, uelim explanes clarius. Syl:
Ego uero quidem. An nescis, Canonicos hinc traxisse
nomen suum, quod canon est regula, unde Canonici appel-
lati sunt, ut uitam secundum regulam ducerent. Verum
illi contra, cum opibus cœpissent abundare & copijs, ut
sibi liceret sine regulis, id est, irregulariter uiuere, eodem
in oppido ubi Cathedralis ecclesia fuit, ibidem condide-
runt alios Canonicos, quos regulariter regulares uolebāt
dici, ut ipsis uoti sui regulam seu Canonē abijcere fas es-
set, & alijs castitatis regulam cōmitterent. Fœlix. Mi-
ror equidem, at doleo tamen, sunt enim quæ narras uerisi-
milia. Syl: Non dubites. Sed uide quid inde fecutū,
& quoniam quilibet Canonicorum priuatas aedes suas in-
habitat, duo famuli ei conducendi sunt, quorum alter ab e-
quis sit, alter à cubiculis, duæ famulæ pariter, una quæ ci-
bum paret, altera quæ sternat lectulos: etenim minori fa-
milia, Canonicalis dignitas contenta esse non potest.

C ij

Hinc

Hinc iam rationem inito, quid otium & alienus cibus
non facit? postquam preces Canonicae absolutae sunt, quamquam
admodum raro absoluunt quidam, uel inchoant etiam. itaque
postquam & pransum & coenatum est, & uiscera uenterque
uino cibos refertus, quid credis meditari Canonicum?
ad stabulum relegat stabulatorem, puerum in scholis di-
mittit, aut aliud quidpiam ut faciat iubet. Interea cum
coca iocus, cum cubicularia cubilia. Et haec quamquam Fœ-
lix adhuc tollerabilia uidentur, non enim si satis caste, sa-
tis caute tamen. Quid autem de his dicemus, qui integras
fouent domi lupanaria, prostibula erigunt, lenones accer-
sunt, lenasque similiter, uxores a maritis pelliciunt, uirgines
arte lenonia persuasas, in hunc ludum pertrahunt. O coe-
tum dignum pontificio regno. Quid putas o Fœlix, utinam
non miser & infelix, qui uides furem & curris post eum?
Quid inquam putas ea in societate ecclesiam ponis? Di-
ctu nefandum, cogitaturo horribile, ex illa enim schola, quas
artes proficiisci arbitramur? maleficia nimirum, incanta-
tiones, magiae & prestigiae, philtra, da monum collusiones,
& plurima generis eiusdem. Fœlix. A' bnde tu
quidem de istis Syluester, ut uerc' liceat dicere: Claudite
iam riuulos pueri, sat prata biberunt. Arbitror enim
nunc tempus esse, ut par pari referam: nam si tibi libet,
quæ uelis dicere, uicissim necesse est quæ nolis audias.
An non similia multa in grege tuo reperiisti? quamquam uobis
uidebatur, non solum uestris concionatoribus dari uxores
ut esset

ut esset id tale matrimonium, capistrum Lutheranicæ ea-
ptiu. itatis uestræ, sed etiam ut hoc pretextu sacerdotes
uestri uel prædicantes, castiores existimarentur: sed tamē
quid euenit? Meminimus quendam ex Lutheranicis prin-
cipibus non postremum, dolenter conqueri, quod matrimo-
nium ministris ecclesiæ concessum sit, cum uideat ne ma-
trimonium quidem Lutheranorum sacerdotum & prædi-
cātum libidinibus mederi posse. Turpis quidem scortatio
est fateor, & offendiculum graue: sed adulterium & tur-
pius & grauius simul. Si in uestris obscuris ecclesiasticis
seruulis, & que conspicuum esset dedecus atq; in nostris
prælatis atq; Episcopis est: crede mihi multo fœdius di-
ceres in plerisq; uestrum esse coniugium, quam in nostrati-
bus coelibatum. Ante biennium, cum forte ex Galliis per
T huringiam in Poloniam reuerterer, incidi Neoburgi
in quosdam uestrarum Ecclesiarum uisitatores, in quoru-
m uisitatorijs tabulis uidi, & plura & deteriora in Euange-
licis concionatoribus coniugatis, commissa diversa & ua-
ria adulteria, quam ulla possint apud nos in tam augusto
territorio scortationes reperiri. Nec profectò mihi du-
biū est, quin si uestri concionatores has facultates sint
adepti, & aliquantulum plus dominationis: quin multis
modis turpiora commissuri uideantur. Exemplum tibi
possim unum atq; alterū recensere, ex quibus multa simi-
lia coniicias. Anni admodum pauci sunt (sic enim ex ui-
cina Silesia increbuit) cum in ditione Vratislauensi sa-

cerdos quidam Lutheranicus, qui Catholico sacerdoti
moribundo, formata furatus, rasis in his literis, suoq; nomi
ne inserto, parochiam quandam tali fraude & criminis
falsi, tāq; à Catholico Episcopo esset ordinatus, adeptus
erat. Sed ne sic quidē satis habilis putabatur Lutherani
co antistiti, quin ut constantiae sue daret documentū, uxo
rem illum ducere oportebat, uerum hæc uxor, cum nouello
marito iam cœpisset minus placere, & mulieres aliae pla
cere magis toxicō illam interemit, ut ad noua uota, libido
ardentior foueretur. Si exemplis res ista illustrāda esset,
Dij immortales, quantam tu mibi uestrarum turpitudinū
syluam aperuisses. Hoc saltem abs te quero, an usq; illo
seculo ante libidines adeò frequentes, adeoq; uarie in omni
genere sexus, etatisq; exarsisse commemorentur, quam
hoc seculo nostro? Non sane arbitror. Nam hoc unicum
decretum Lutheri, quasi lex diuina nunc passim habetur,
nullum mortalium posse continere, & non minus, quam
non expuere saliuam, itemq; nec minus uirum muliere, uel
mulierem uiro carere posse, quam ullū hominem uel cibo,
uel potu. Hoc uexillum castitatis aut continentiae, primus
erexit Claudius Nero, Cæsar Romanus, qui Tyrānus
natans inter spurcissimas libidines, palam dictabat: impos
sibile esse ut aut adolescens, aut puella, aut mas, aut foemina,
si modo Veneri aptæ sint, à Veneri abstinere possint.
Arripuit hoc Neronianū uexillum Lutherus, refixitq;
in Germania: ad quod iam tot undiq; concurrunt impudic
citie

citie & sorores, libidinum fratres, quot munera Cereris &
Bachi infartire possunt. An non cum uide mus adolescen-
tulos hoc tempore palam scortari, aut si ab hoc uitio re-
trahuntur contumaciter sibi dari uxores flagitant: Itēq;
puellas, si aut libidine lapsae sint, aut alias impudicē lasci-
uiāt: tam has quām illos proteruē Neronianam legem Lu-
theri obtendere: Impossibile enim esse hominem castè con-
tinenterq; uiuere, cum Vénus & que necessaria sit atq; po-
tus aut cibus. Ex his nouis nuptiarum ritibus pueri du-
cunt, puellæ nubunt, tandem nascuntur iij uiri tam strenui
heroes, qui bellis Turcas ultra Caucasū montem submo-
uerunt, qui sanis consilijs & concordibus, pacata Ger-
mania reddiderunt, qui deniq; hoc aureum seculum, quo
nunc Germania mirum in modum floret, reduxerunt in
Christianum orbem. Ob eosdemq; nouos nuptiarum ritus
uobis Euangelicis uerè licet dicere: Nos senes nasci-
mur: Itali, Hispani, Galli, semper sunt pueri. Sylue:
Quamuis ludere uideris in re seria, dicens tamen ea, quæ si
inficiari uellem, impudē sim oportet, defendere nefariis.
Migravit enim lex ista ex Germania in Poloniam, quæ
non tantum ait castitatem uel continentiam impossibilem
esse, sed etiam nescio quam in ipsa, fornicationē inducit.
Et cum sciam te Fœlix hoc in genere Ecclesiastici iuris
uersatum, cupio mihi ut explices, an ista quæ nunc apud e-
uangelicos frequentia sunt repudia, nulla scripturarum au-
thoritate putes posse permitti? Felix. Quænam illa sunt
repudi

repudia? Syl: *V*aria illa quidem & multiplicia, quæ
nunc referre intempestiuum, infinita sunt enim: unius satis
est uel alterius exemplum referri à me. Accidit nuper
in uicino oppido, cum quidam in Liuonicam expeditionē
profectus, liberis domi aliquot & coniuge relictis, non
ita subito sicut uxor uolebat, domum reuertit. Ibi mulier
amoris noui interea flammis incitata: consiliū petijt à quo-
dam euangelij præcone, quidnam uideretur, quoniam ma-
ritus absit, & melius sit nubere quam uri, an non præstet,
ut priorem maritum repudij libello submoueat, cum nō sta-
tim adsit, ad quemuis libidinis ardorem, & ad uota noua-
rum nuptiarum, ne uratur amplius inaniter, liceat sibi ac-
certere maritum nouum? Quid hac in re ô Fœlix faciendū
censes? Ecce expressum Dei uerbū. Melius est nubere
quam uri. Maritus autem cum abest, & de reditu illa
fœmina ambigebat: at interim tamen lex Pauli ursit, ut
præstet carnis ardorem suauius noui mariti coniugio ex-
tinguere, quam diu expectando, uri desiderio ueteris ma-
riti. Fœlix. Quid antiqui iuris fuerit ô Syluester nec
tibi est, nec illis qui istud sciscitantur ignotum. Quare no-
lim ista in re, quid iuris sit, sciens quæras, quam quid de ip-
so factō non ignarus iudices, mibi uelis aperire. Syl:
Ego uero iuris istius Ecclesiastici, non tam gnarus sum,
quam non imperitus communis experientiæ, que me abunde
satis monet, quid hoc in genere casuum matrimonialium
apud nos siue recte, siue perperam fiat, unde equidem, si
quid

mei iudicij est, arbitror sane prestatilius esse, subinde
uetera coniugia rescindere & permettere noua, quam a-
liquid prohibere quod carnem urat, nubere impedit, &
quasi noua gaudia inuideat humano sexui. Nam inde quid
est, quod admodum res Ecclesiae perturbet? Fœlix. Ni-
bil plane, ut opinor nisi incertum quod facit Sacramentum
matrimonij, & dubiam sobolem (nimirum parua res est)
quasi uero lex Pauli eò respexerit, ut hoc Sacramentum
uelit potius mulierum uirorumq; libidine moderari, ut cui-
libet liceat quod libeat, quam exigere ab immutabili Dei
mandato. Quos Deus coniunxerit, homo ne separet. Tä-
tum crede mihi Syluester, mali iam ortū est, breuiq; orie-
tur, ex peruersa illa Paulinae legis interpretatione, ut fœ-
diora multa isthinc nobis expelandā sint, quam Turcis ex
sua polygamia, quibus tot licet, quot libitum est uxores
ducere. Nec uelim à me ut postules exempla: domi sis oculu-
tus Syluester, & si quid hic documenti deesse putas, ef-
fer oculos in uicinam Germaniam, & ibi quæ audieris
& uideris, quæ expertus sis, in animum reuoca: nec tam
uelis esse iudicem hac in re, quam testem conscientiam tu-
am. Sed hæc satis & abundè quidem de gula & libidine,
& ut antea dictum est: Claudiū iam riuulos pueri, sat
prata biberunt. Quid autem est Syluester quod desideras
amplius in uita Clericorum? Syl: Si desiderij locus
est, tantum omnino est, quantum plane satis fuerit ad ex-
tirpandam Romani Papatus sedem Felix. Suffici-
at igit;

at igitur quod fatis est, nec ad uiuum omnia, et ut sapientis
monet. Ne quid nimis. Nam per se res plena odij est, et
nauseae et facietatis, de libidine et gula, communia homi-
num uitia exponere, cum haec uideantur potius eiusmodi
esse, quibus quisque in corpus peccet suum. Haec ergo sue
cuiusque intime conscientiae relinquamus. Iam uero de ad-
ministratione Sancti illius patrimonij Petri colloqua-
mur paululum, uideamusque quoniam opes tantae tam cito, tam
grandes profluxerint. Syl. Tu uero Felix equum ui-
deris non in fossam detrudi, sed in campum suades emitti
oportere. Expectabam istam ut mihi occasionem praeba-
res. Scio eidem multis retro seculis immensas opes,
thesaurosque Principum, pio studio collatos esse clero, une-
de tot passim uidemus surrexisse basilicas, Cathedrales,
templa, fana, facella, et ne his deessent certi greges, gre-
gumque magistri: Cardinales, Patriarchae, Archiepisco-
pi, Episcopi, Corepiscopi, Suffraganei, praelati, ABBa-
tes, Præpositi, Decani, Archidiaconi, Scholastici, Cu-
stodes, Canonici, Vicarij. Et maxima illa monachorum
uarietas, quæ diuersis distincta nominibus, et colore et
habitu, et ritu uiuendi pene innumerabilis. An hac in-
tanta omnium ordinum, ecclesiarumque omnium conturba-
tione, putas non maximum esse tantarum opum, faculta-
tumque temporalium abusum? Minores gentium omittam
mus, in paruis enim rebus peccata non sunt magna. Sed
reliquos gradus uideamus suo ordine. Et de Canonicis
initio

initio. Postq; enim Canonicis concessum fuit extra com-
mune collegiū priuatim uiuere. Deum immortalem quam
creuit primum avaritiae studium? In communi contuber-
nio cum essent, uno quilibet Canonicorum, aut certo alte-
ro beneficio contentus erat. In hebdomadam, singulis
sūptus certus, quem refectionem uocabant, dabatur. De-
inde distributiones fiebant etiam semestres, quas uulgo so-
lent grossas, aut maiores dicere, quæ eō dirigebantur, ut
cuiusbet ad uitæ suæ cultum, librosq; necessariæ expensæ
suppeditarentur: reliqua uero, si qua supererant in alios
pios usus destinabatur, in hospitalia, in cœnobia pauperū,
uirginum uel monachorum, in scholas, in erectionem alta-
rium & similia. Quorum adhuc de mensis Canonicorum
passim egregia monumenta & fundationes uidere licet.
Sed quo hæc laudabilis Canonicorum antiqua consuetu-
do deflexit? Eō nimirum quoniam cum ante a uni Canoni-
co unum sufficeret beneficium, quod rebantur, nec unum
posse plus quam uni altari seruire: cumq; unius beneficij
ministerium unum totum hominem, & huius integrum Ca-
nonicarum precum pensum requirat, unum censebant cui-
libet Canonicō concedendum beneficium, non plura singu-
lis. Iam uero inuersa uidemus & peruersa omnia: repe-
rias nunc multos quorum singuli obtineant propemodū in-
finita. Sunt enim qui habeant beneficia, sic, non modo ad
uiculum, cultumq; uitæ, sed ad instrumenta etiam omniū uo-
luptatum distributa. Meminimus Cracoviæ prælatum

qui habebat singula beneficia pro diuersis familiaris nei filiis
et iunibus, aliud quo cocus alebatur; aliud quo stabularius,
aliud quo cubicularius, aliud quo ganymedes, aliud quo
concubina, aliud deniq; quo axungia emeretur. Inter ea
taceo, quod ipse prælatus pro se, mensaq; sua & splendo-
re prælaturas habuerit, non unum beneficiū sub uno tecllo,
sed uno eodemq; quam plura: ut propemodum posset idem
unus prælatus, tot in codicillis suis sacerdotia cōputare,
quot in anno dies. Hinc demum qualis soleat exerceri
mercatura, quales emptiones, uenditiones, resignationes,
reseruationes, pensiones, permutationes, & ut breuiter dicam, nullum non exēcendi fœnoris, quæstusq; illiciti stu-
dium. Sed hæc obiter de Canonicis. De Episcopis uero
& Abbatibus quid referam? multos noui Abbates,
qui rectius uillici procuratoris, integrum munus nossent,
quam primam syllabam docti pīsq; Abbatis. Vnicā his
cura est (uoluptatē tamen & luxum excipio in plerisq;) prouentus monasterij studiosissime conquirere: primum ut
piscinæ quæstus se sint, partim nouo seminario fœcundæ,
partim adulto pīscē uberes. Hinc igitur in sylvas, ut hæ
sint cœduæ ad annūlū lucrum, ut in his, alendis porcīs, co-
piosæ glandes sint, ut in his feræ continēantur, ne in uicini-
as excurrant, ne alijs nisi domesticis sit facultas uenandi;
& hunc in usum canum quam plurimi, & famulorum tur-
ba ociosa, & si famuli de sunt, ut rustici, neglectis ipsorum
necessariis operibus, hoc faciant, in his item ut apum exa-
mina.

mina; atq; aluearia affatim foueantur; unde quæstui multū
accedat & culinæ prospiciatur. Hinc proxima sollicitu-
do, de administrandis prædijs, ut uaccæ fœcundæ sint abū-
dentq; lacte, caseo, butyro, ut uituli, ut boues, quam pluri-
mi: quorum alij quotidianis epulis suppetant, alij uenum
propositi, abbatialem crumenam infarciant. De equis, de
capris, de porcis, de ouibus, de anseribus & gallinis ea-
dem procuratio & sollicitudo est, nec hoc in loco cessat
agriculturæ exercitatio: hoc nimirum studiosi. Abbatis
est, prouidere ut agri stercorentur, arantur, occentur,
serantur, & horum fossæ pastinentur, riuuli ducantur, ac
deniq; uberrimum fundant fructum, tam agri quam pra-
ta atq; pomaria, omnis res rustica quæstuosa ut sit, maxi-
ma pars Abbatiali studij est. Harū igitur rerum copi-
is opibusq; cum abbates abūdent, statim illi in hæc uerba,
& nos poma natamus: fastidiumq; continuè, quandoquic-
dem inflati (insulati uolebam dicere) ut patres uenerabili-
les appellantur, sed audire uolunt Miloscivy Kxiežc,
& ut in uicina Silesia Gnadige hern. Voluntq; non so-
lum sui Cœnobij. Abbates dici & scribi, sed domini e-
tiam. Vide quid aliud de illis statui potest, quam quod in-
uitio Christo saluatore, qui uetuit, ne benefici, hoc est Mi-
loscivy & gnadig uocentur, uetitos & interdictos titulos
usurpent. Sed hæc ludicra sunt, si quid patrent Episcopi,
consideres. Abbatum cura quam recēsui, plane eadem
est cum Episcopis communis, Quid enim aliud Episcopi

nunc, quam uillici, quam quæstores, quam fiscales, rerumq;
mundanarum procuratores? Sed insuper tanto plus stu-
dent avaritiae, quanto ad hoc uitium occasiones habent u-
beriores. Præter istud quod resensui, abbatiale stu-
dium, & hoc Episcopis peculiare est præsertim hoc
tempore, cum passim altaria, mansionaria, uicaria,
Canonicatus, hospitalia, similiaque generis eiusdem,
propter inopiam personarum uacent, ut harum rerum fun-
dationes, uel oppignorent nobilibus & alijs, uel diuendant
clam, uel extinguant etiam priuilegia omnia & iura, con-
uertatq; in priuatū usū, transferantq; in cognatos uel agna-
tos & alios quib: ipsi fauet, adulterinos successores. Quid
interea quæso ô Fœlix, fundatores talium eleemosynarū?
quorum monumenta, abolita memoria beneficiorum, extin-
guuntur & preces, cultus p̄ diuinus, qui pro illis, ex tali-
bus fundationibus, quotidie fieri debebat penitus obliterā-
tur? Quis etiam laudare potest noua ista Episcopalium
quæstuum aucupia? Sacerdotia aut uendunt pacto pre-
cio, aut largiuntur agnatis, familiaribus, domesticis fami-
lis, hominibus nimirum ad uitia huius seculi promptiori-
bus, quam ad peragendum cultum diuinum instructis. Sed
infinitum hoc chaos est, quis hæc scelerâ huius enumeret?
Infinita sunt enim. Nam nota tibi sunt proculdubio, quant-
itas opes pleriq; Episcoporum Mammoni suo binc cumu-
lauerint, dū nulli Iudai foenius fodiis exercere, nulli mer-
catores lucrum facere turpius, nulli lenones prouentum
spurc

spurcitionem unq; facere possint. Romæ uti auditum est,
quid his in rebus ualeat, quid communis cursus curiæ, quid
fraudes istæ curiales & ualeant & ualuerint hactenus
mens abhorret dicere. Memini me legere Cardinalem
Cameracensem, Iliada talium quæclarum Constatiensi
Cœcilio proponere, addita hac obtestatione, nisi ipsis Ro-
manæ curiæ, cæterorumq; tam Cardinalium, quam Epi-
scoporum corruptelis sublati, funditus Ecclesiam peri-
re oportere. Et profecto uere quidem. Nam quæ uilla tur-
pis lucri faciendi occasio prætermissa ab Episcopis &
Cardinalibus eccl? Taceo multitudinem beneficiorum, E-
piscopatum, Abbatarum, Præpositorum, Taceo
Symoniacas emptiones, permutationes et similes practio-
nes, quas nunc honesto titulo Finantias appellare consue-
uerunt. Sed fortassis nimis quidem à me tibi obiecta uide-
buntur, cum ad personas potius eius generis uitia referē-
da putes. Sed ne, ut in comœdia est Aristophanis, dicere
tantum uelim & audire nihil. Videlim tu nunc uicissim de
nostris Euangelicis an habes similia. Fælix. Ego ue-
ro mi Syluester, quæ recensuisti nō tam ut refellam, quam
ut dolorem, quem ex uitijs utriusq; partis grauem circum-
fero, tibi declarém, placet non tam similia uestratiū, quam
multo immaniora proferre. Memini te enumerare opes
Ecclesiæ, & quā in his uarij abusus græssentur apud nos.
At uelim mi Syluester si licet uerū loqui, & rem cum re-
componere, ut tu etiam aliquantulum præsius ducas ad li-
mam.

mam. *V*icinij enim Symonia in Pontificijs multa sit,
nec eo in usu, quo maxime debebant res Ecclesiasticae uer-
sentur, apud uos autem uide quam uni, res cum abusu ex-
tinclæ partim, partim debilitatæ intereant. De Aposto-
tis, siue illi Canonic i sint, siue prælati, siue Abbates, siue
Episcopi, quid debeam dicere, iura iam olim præscripse-
runt, quid nunc constitui debeat, summae infirmitatis est.
His gradibus uel cuniculis potius, itum est ad subuerten-
da fundamenta Ecclesiæ. Nam compertum est eos, qui
defecerunt à nobis, pacisci solere cum dominis seculari-
bus, qui quoquomodo aliquem titulu uel collationis, uel ius
patronatus habere uisi sunt, ac prodere bona Ecclesiæ,
et tali propemodum fraude, scilicet ut priuilegia, instru-
mēta, monumenta, regestra, protocolla et similia, quibus
Ecclesiastica illa bona antiquitus à clero possidebantur,
tradant ac prodant suis adulterinis patronis, schismaticis
nimirum: à quibus illi uicissim aliquam paclæ fraudis mer-
cedem recipient uel portiunculam. Exempla non procul
petenda sunt, uidimus in uicina Prussia nostra tales trās-
actiones nec paruas nec raras. Et ut unum proferam loco
multorū, quam egregius fuit olim, quam locuples Episco-
patus Sambiensis. Sed quid euenit? Polentarius ille Epi-
scopus Sambiensis, oppidulum unum atq; alterum, et ali-
quot uillias sibi hereditarias paclus est de toto Episco-
patu, reliqua omnia, iura, priuilegia, et possessiones
prouentus, qui uel maximi erant, ex solo succino, ut reliqua
taceam,

taceam, concessit nouitio duci. Vt scilicet uterque pro-
creandis liberis, quos nouo Lutheranico iure , ex nuptijs
iam animo conceptis, sperabant, ecclesiasticas opes possent
hereditarias relinquere. Idem exemplum sed maiori eti-
am sacrilegio, uidimus in Episcopatu Pomesaniensi, ue-
rum quo res ista processit? Nunc uterque episcopatus re-
penitus extincsus est (bonis nimirum omnibus in Came-
ram principis confiscatis) nomen tantum residuum est,
quod nunc gerit aurificalius miser, tam procul a ueri Epi-
scopi officio & dignitate, quam longe destitutus necessa-
rio uictu alendae familie. Fertur quondam Dinastes eius
provinciae admonitus a quodam Catholico nostro, ne ita
temere sineret opes Ecclesiae a sectariis praefectis dilace-
rari: Ecclesiae enim istas facultates esse non Cameræ. Di-
nastes uero respondisse, si omnia que Ecclesiae, ordiniq[ue]
beatæ uirginis eripuisset, restituere deberet, sibi ad Fran-
cicum sagum redeundū esse. Rides tu quidem Syluester,
sed uere hæc an falso dixerim, tuos uelim, qui isthæc inspe-
xisti, oculos testes esse. Sylue: Ita uero est, ut narras
Fœlix. Quin nuper admodum, simile quiddam in Episco-
patu Misnensi factum scimus, ostolidum caput Episcopi,
si tamen Episcopus dici debet, qui fraudulenter Episco-
patum prodidit, uoluit ille duabus sellis uti, apud Luthe-
ranos altera, altera apud Catholicos, sed sua ipse stultitia
inter utrāq[ue] supinus corruit. Nam cum eo Catholicæ
fidei professionem fluere permisisset, quod uelit, si sibi ali-

qua portiuncula Episcopatus hereditaria cōcederetur,
ut duclia uxore, procreatos liberos ex pingui pane Christi,
locupletare posset, Episcopatum tradere seculari do-
mino, & huic tanq̄ consiliarius Lutheranicus seruire:
dum uero hoc sectarij aulici intellexissent, promiserunt
desertori quod optabat, donec traditio Episcopatus in-
tegra facta esset. Tandem uero tam foede proditionis re-
darguebatur, negabantq̄ proditori pactam portiunculā,
ullo iure deberi, sed omni iure restim, aut simile quippam.
Fœlix. Laudo ingenuitatem tuam Syluester, credo si-
milia multa euenisce hoc tempore, non tam quidem in Po-
lonia nostra, que adhuc minus inferta est & peruersa
sed multò magis in Germania tua, que quo prolapsa sit, or-
bis Christianus dolet, uos meritò deplorare debebatis mihi
Syluester. Duxisti tu me quidem in memoriam tantæ ca-
lamitatis Ecclesie, non possum non ingenti dolore affici
quoties recordor tam immanium sacrilegiorum. Vide
quot Episcopatus ornatissimi cōciderūt, in quibus hacte-
nus diuinus cultus sedulo peractus est, & sustentati quam-
plurimi homines docti. Quot enim Episcopatus, quot
Abbatiae, quot Collegia Canonicorū, quot cœnobia uir-
ginum, & monachorum, quot aliæ laudatissime functio-
nes penitus abolitæ sunt, intra annos quadraginta? In
tribus enim illis regnis (Danicum dico & Sueicum &
Noruegicum) quot putas saltem episcopatus extintos
esse, ut reliqua omitam? Sylue: Certe dubium non
est.

Est cum tria regna sint satis opulenta, ad minimum uiginti
arbitror. Siquidem hactenus regnum nullum reputaba-
tur, nisi Archiepiscopatum haberet, & hic sub se septem
alios Episcopos. Felix. Ita est, Sed quid de An-
glia dicas, que non unum, sed duos habuit Archiepisco-
pos nisi fallor, & episcopos non pauciores sedecim. O
Deum immortalem, quanta doctorum uirorum in his dio-
cesibus copia fuit olim, quam multa liberalium musarum ho-
spicia? quam egregiae, multiplicesque literarum & artium
imprimisque sacræ Theologiae officine? Sed haec quasi
de alieno orbe. Nostra uideamus & domestica. Quot ar-
bitrare Syluester, concidisse in Germania Episcopatus,
Abbatias & alia Collegia? Sylue: Ego nescio, si
tu nouisti recita. Felix. Infinita multitudo est Syl-
vester, nec enim tam mihi ista possent esse homini Polono,
nec inter Germanos multum uersato cognita, quam tibi.
Sed at recensebo tamen, praesertim Episcopatus, & ea
quidem fide, qua ego ab ipsis Germanis accepi. De Ar-
chiepiscopatu Magdeburgensi ordinar, qui quo in statu
nunc sit, & quam Catholicus in eo praesul non libet dice-
re, doleo, nihil enim ad sinceritatem & instituta maiorū.
Ipsa facies Cathedralis Ecclesiae in urbe Bremis loqui-
tur, quam foxde'is episcopatus & deformatus sit in reli-
gione Catholica, & quam sacrilege bona eius Ecclesiae
prophanata atque dilapidata, quam turpiter degenerarit
eiusdem Ecclesiae Clerus. Quo in statu nunc est, Mers-

burgensis Episcopatus & Nauburgensis? uterque profecto uix ossibus hæret, & ita quidem macilentus in fauibus hostium. Quid Brandenburgensis Episcopatus in Marchia? Quid Havelburgensis in Saxonia? Nihil certe aliud de utroque possum nisi ut Græci solent dicere
dix et cetera Et hic Misnensis Episcopatus mentione fieri oportebat, sed qua fide præfulis sui, tanta dignitas Episcopalis prodita sit, non libet reminisci. Ad Bremensem Archiepiscopatum uenio, de ipso præfule nihil attinet, constans enim esse dicitur: sed de prælatis & Canonicis, Bremensis ciuitas abunde locuples testis est, cum alij uxores duxerint, alij uendiderint possessiones Ecclesiae, alij auariissime prodiderint. Huic Archiepiscopo suberant patruum memoria episcopatus Lubeceñ: Slesuiceñ: Hanburgen: Racēburgen: Swerineñ: quorū tantū nomina restant aplius, ipsa dignitas extincta est, & bona in principum æraria confiscata sunt. Hinc si placet in Aquilonem excurramus: Septima enim metropolitana sedes fuit Archiepiscopatus Rigensis: cui talis antistes præfuit bacenus, qualis ad interitum necessarius uidebatur. Non ignota refero. Hic Archiepiscopus submetropoli sua habuit Revalensem, Curiensem, Dorpensem in Lithuania, in Prussia Sambensem, Varmiensem Pomesaniensem, Ex his omnibus uix unicus superest Varmiensis Episcopus, qui nunc sedis Apostolicæ ad Ferdinandum Cæsarem Legatus est cum potestate de late-

de latere Stanislaus Hosius vir & sanctitate uite &
doctrinae excellentia veterum nemini secundus. Hinc ad
meridiem uertamus iter, quanque Coloniensis Archie-
piscopus per se adhuc autoritate & uirtute Colonien-
sis Academie, hominumque doctorum atque piorum uigila-
tia persistit incolmis, ueluti egregium Catholicae religio-
nis propugnaculum: sed tamen aliquot Suffragiati Epi-
scopatus, partim nutant dubitanter, ut Mindensis & O-
snaburgensis, partim defecerunt, ut Monasteriensis, &
sub hoc infinitus Clerus, uel Anabaptistis sese uel alijs
Lutheranorum scelis adiunixerunt. Traiectensis Epi-
scopatus & Leodiensis, eodem quidem pertinent, sed u-
terque mediocriter saluis. Proxime huic accedit Mogun-
tina metropolis, cui tametsi quam plures Episcopatus sub-
iecti parebant, pauci tamen incolumes sunt, plerique infeciti
hæresibus, atque dilacerati. Quis enim Constanciensis Epi-
scopatus, quis Argentini, qui Spirensis, qui Vormatiens-
sis, qui Augustani & Aichstetensis, qui ite in Saxonia
Hildesheimensis, Badenburghensis, Halberstatensis,
Verdensisque Episcopatu*ū* status sit, nemo roget, nisi qui
peregrinus sit in Germania & quid geratur, se prorsus
fateatur ignorare, ut Episcoporum ipsorum domesticæ fa-
cultates incolumes sint mediocriter (omnino ut dicam non
licet) tamen ipsa membra eorundem Episcopatum, ita
contusa sunt atque disiecta, suisque propemodū exiccata me-
dullis, ut nihil spei reliquum uideatur amplius, nisi aut fa-

me clerus eneclus, deserat Ecclesiæ, aut non dubitet ut
tam suam ponere pro ouibus Christi. Treuirensis uero
Episcopatus, quia paucos suffragatos antistitites habet
sub se, & uicinitate Belgij atq; Galliæ uiriliter sese op-
posuit seclarijs, & ideo præ ceteris minus afflictus est.
Quin & Salisburgensem Archicancellarium, et qui sub
hoc sunt Suffraganei, uirtute Catholicæ principis Bau-
rici hucusq; est egregie defensus. Quanq; Ratisponen-
sis etiam commune malum Germaniæ sic effugere non po-
tuit, quin uehementer attritus, uix queat sese clerumq; su-
um tueri mediocriter. Omitto hic minorum Pontificum
clades, cultuumq; diuinorum miserabiles oppressiones, ac
penè oblitus fueram uicini Episcopi Vratislauiensis,
qui cum totius Silesiae Antistes sit, ita tñ uiolatus esse
uidetur, ut præter armatos Vngaricos Mathiassos pro-
pemodū nihil uiuū habeat aplius in ouili suo. O quo uadit
anima huius Episcopi? In cœlum scilicet. Hæc breuiter
de Episcopatibus, per quintum Lutheri euangelium euer-
sis satis modo dictum esto. Vt enim autem cogites mi Syl-
uester, quātæ facultates, qua opes, & copiae sub ijs fuerint
olim, & nunc dirrepta, in prophanos usus successerunt.
Sed ita quidem, ut Ecclesiasticæ opes cum sint cum pro-
phanis permixtæ & has confestim & ipse sese tandem
penitus consumant. Philosophi scribunt eam esse naturā
atq; uim in Aquilinis pennis, ut si hæ cum aliarum auium
plumis misceantur, has primum absument, & mox sese pa-
riter

riter. Exempla multa possint recitari. Meminimus Lu-
bec & omnes Ecclesiae Tesauros, ut patinas, calices, am-
pullas, Monstrantias, cruces, statuas, & similia argen-
tea & aurea innumerabilia uasa, diuinis cultibus dicata,
ex Ecclesijs paſſim direpta, unumq[ue] in locum congesta,
speciem præſe tulisse tantarum facultatum, ut ciues Lu-
becani harum rerum fiducia elati, non dubitarint ingens
bellum mouere aduersus Regem Daniæ. Sed accidit il-
lis, quod de aquilinis pennis dicitur. Cum milites atq[ue] equi-
tes in urbem accersuerint, pecunia ex illis quos dixi ec-
clesiasticis thesauris cusa est, sed ea adeo in exiguum con-
flata summam, ut ne in mensem quidem conductos milites,
alere potuerint. Postea uero ad ærarium ciuitatis itum
est, quod contactu ecclesiasticorum thesaurorum infelici,
pari celeritate euanuit, ac inde continuo ad priuatas ci-
uiū opes, belli sumptus deuoluti sunt, quibus Lubecani ci-
ues ita attenuati, ut se inopia omnium rerum uidetos Dano-
dedere propemodum coacti sint. Similia exempla superio-
ribus annis uidimus in Saxonia, in Misnia, Thuringia
Hassia, in Palatinatu, in Suevia & paſſim. Nemo cau-
sam aliam querat, nisi quia aquilinae pennæ admixtae fue-
rint. Syluester. Desine obsecro o Fœlix, cum magno
dolore ista audio. Et quanq[ue] istas rapinas ecclesiarum, bo-
norumq[ue] Ecclesiasticorum, alienationes nunq[ue] probauit,
uidi enim infelicem huius instituti euentum fore. Sed cre-
de mihi Fœlix, grauem præbuerunt causam his malis præ-
lati

lati uestrī. Vt taceam quam turpiter istis Ecclesiæ bonis
abusū sint ad luxum, ad fastum, ad libidines (quāq; & hæc
uitia non tolleranda fuerunt amplius) quid quæso putas
cordatos homines cogitare, cum uident in Canonicorum
ædibus, in Abbatum Monasterijs, in aulis Episcopo-
rum, uersari barbaricam quandam illiterati (quid illite-
rati dico) imò pessimè morati famulitij turbam? Malunt
enim illi imperitum coquum, qui plus palato sapiat, quam
corde, aut in alios nugatores et parasitos stipēdia effunde-
re, quād in literatum aliquem aut doctum uirum. Tales si
forte aliquando uel in Monasteria abbatum uel Episco-
porum aulas uenit, ludibrio est istorum Gnatoniis atq;
Thrasonibus. Quiuis enim horum præfertur, ac maio-
ri in honore est. Quo sit ut in prælatorum famulitio albo
coruo sit rarius. Interea tamen conqueruntur, se uicariis
se parochis: se necessariis Ecclesiæ ministris destitui.
Sed quanta o Deum immortalem illorum impudētia est?
Tales homines se aiunt desiderare: sed intales homines ut
educentur, ne teruntium quidem uolunt impēdere. Sed ea
dementia sunt occæcati, ut existiment Principum libera-
litate, copiāq; locupletum ciuium, quemadmodum fuit olim
usitatum cleri frequentiam suppeditari posse. Sed o Foelix,
alia nunc ætas est, alios hæc mores postulat. Memini me
legere Græcum carmen Lipsiæ non ita pridem editum,
quod ego obiter sic uerti latinum.
Gratum murmur apes, his quondam uiuere cellis,

Nouis

Nouimus, unde pijs copia mellis erat.

Ignuum pecus hinc aliena ad pabula fuci,

*Venerunt Monachi, bestia, pigra, uorax,
Denique Crabrones his successere maligni,*

Qui fucorum & apum dissoluere domos.

Felix. Carmen uero non in facetum recitas Syluester,
nec diffiteor sane, quin in primœua Ecclesia & maior
pietas fuerit in monachis, & sanctior uitæ disciplina, &
descendi studium ardentius. Nec illud negauerim, quin
subsecuta secula multos ignauos fucos pro sedulis mona-
chis nobis pepererint. Sed hoc expedas uelim tecū Sylue-
ster, haec cine sit norma illa reformanda ecclesiae, ut pro ma-
lis fucis exitiosi crabrones reponantur? Memini me apud
Plutarchum & Philosophos legere ex putrefacto boue
apes nasci, & cadasuere asini uestpas & fucos, ex mulæ
autem fieri crabrones. Non sane uidetur bonus paterfa-
mili as, qui sic emendet uitia rei familiaris, ut pro aratore
boue, pigrum asinum substituat, atque mox pro foecunda asi-
na, mulam sterilem. Quis denique fructus ex ista commuta-
tione, uel potius alienatione enatus est? Certe non solum
Catholicus clerus ea fraude tota pene Germania expul-
sus est, ut uix paucis in locis restent uestigia, uerum etiam
cum apud uos & apibus & fucis simul, ista pabula erepta
sint, nec in foecundis istis uestris crabronibus, isthac cra-
pulandi copiam suppeditare possint: fiat demum, ut dum
maxime Romano pontifici & clero Catholicico nocere

uoluistis, uos ipsos uehementer precipitatissimis in exitium.
Exemplo nobis esse poterunt Bohemi, quibus hoc post
Husiti tempora fuit semper sacrosanctum, nihil eorum fa-
cere, quae communia essent cum Romanis. Sed quid inde
secutum est? Barbaries sane infinita, & artium, rerumq;
omnium optimarum flagitiosa ignorantia, ut gente Bo-
hemica propemodum nulla natio uel ad iudicandum ine-
ptior, uel ad honeste agendum barbarior. Sylue: Verum
tu quidem mi Fœlix isthac recensuisti: Sed quid est, quod
adeo facile a pottificio grege pleraque gentes desciscunt? A
ristoteles inquit, bonum sui congregatum est, sui dispersuum
malum. Si apud uos non sola fides regnum Christi tenet, sed fi-
des per charitatem operans, hoc est ut fides sit uiua, qui po-
test fieri ut ubi sit charitas, non etiam sit charitatis uinculum
uidelicet concordia, fraterna inter fratres consociatio? Ignor-
ias uelim mi Fœlix, loquor quod uerum est, non dissimulo
quod falsum, uide quae so cōfratres tuos, maximeque illos, qui quod
ex regula charitatis uiuere debebant, Canonici dicuntur
quam concordes sint, quam se se complectantur fraternitate,
quam pijs se se inuicem uiuent studijs. Et ut ordinar de ca-
pite: nos tunc istum uicinum Chrestologum uestrum? Fœ:
Nescio quem uelis. Syl: Quasi uero ignores inter cō-
dititium & promititium discrimen. Fœlix. Iam uideo
quo respicias. Sed quid in eo culpas tandem? Syluester
Ego uero nihil sane admodum, nisi quod & lippis & ton-
soribus notum est. De fraterna enim sua erga suos fra-
tre s

tres sincere dilectos quod requiri stentatis uinculum? Ecce pleonasmus, & nemo hic bardus, et ecce iterum sage-
na, & hic nullus, magnus, malus, piscis, & ecce deniq;
tribuli, quorum semper quartus aculeus eredius in diges-
tum, quin etiam Sar a pinguis inter postes ianuamq; reten-
ta, eam deniq; nobis facit spem, non Saram se, sed Sorum
esse. Sed nuga istae sunt, ad nasadas uinarias Vngaro-
rum ista pertinent, ex harum enim sentina hau sit (ex do-
lijs debebam dicere) præclara ista consilia, ut de calo pen-
deret hæc aurea cathena Homeri:

Cernere nigra potes, sed cädida nulla uidere,

Tu bene Salse alijs, nil nisi dulce tibi.

Mars calcas hederam, ruscum sustollis & algam,

Tu Mars uix porcum fartis alisq; tuum.

Nullus honor diuis, sceleri sunt præmia semper,

Plutus ubi regnat, Bacchus & alma Vénus.

Noctua nocte uolat, uolucris bene tuta tenebris,

Quo magis obscura est, hoc magis illa nocet.

Hoc enim è Parnaso riuiulos illos eduxit, in castella
promptuaria, è quibus tandem mirifice rigari solent pra-
ta Quadrorum. Idq; bi fariam quidem & quodam naturæ
miraculo. Ferunt enim (Strabo autor est) fontem quen-
dam, esse Dodonæum, in quem si faces extingue immergan-
tur, eas accendi: si accēse, eas extingui: Ita nimirum hic
ex eodem oris fonte, et calidum nouit & frigidum efflare.
Exemplis hic parce uti, ipse decor postulat. Qualem uero

F ij tu,

tu, mi Fœlix, censes eum, qui si apud confratres suos est,
in religionis causa quod negas negat, quod ait: uicif-
simq; eadem arte apud Seclarios. Sed utrumq; tamen hoc
ea libripendis estimatione, ut huc semper magis, quam il-
luc propendeat. De quo fertur aliquis talia ante aliquot
annos duo edidisse uaticinia, primum:

Flammas in manicis truces suorum

Antistes nouis undiq; euolantes

Gestat, sanguineo & colore uestes.

Quid uult flamma uorax, color quid ille?

Templi incendia nuper hoc probarunt,

Illud fata cruenta mox docebunt,

Quæ iam præscia fama prælocuta est.

Alterum uero: Quidam probitate, inquit ficta, uiiam
sibi ad potentiam muniunt, faciuntq; multa quæ boni solent,
eo quidem promptius, quod fallendi gratia faciunt, utināq;
tam facile esset præstare, quam est simulare bonitatem.
Sed ij cum esse cœperint propositi sui ac uoti compotes,
& sumnum potentiae gradum cœperint tum uero simula-
tione deposita, mores suos detegunt, rapiunt omnia, & uiol-
lant, & uexant: eosq; ipsos bonos, quorum causam suscep-
perunt, inseqūntur: & gradus per quos ascenderunt am-
putant, ne quis illos contra ipsos possit imitari. Vere hoc
an falso prædixerit iste, tu uelim mi Fœlix, ipse tecum co-
gites ex loco propinquiore. Ego uero doleo profecto, &
uehementer quidem, adeo hoc inter confratres eiusdemq;

chori

chori socios dici proprie .

Nulla fides fronti, cœlant præcordia fraudem;

Nullaq; iudicium ianua cordis habet.

Res ipsa fidem excedit hominum . Isli nanq; cum apud eos sunt, quos esse Catholicos arbitrantur, tanta oris facundia differunt de ueritate religionis Catholicæ, de fraude nouorum dogmatum, de ui potentiaq; hæreticorum, aliisq; generis eiusdem quæstionibus, ut credas cœlitus illos loqui. Sed quid sit postea? Nō multis opus est uerbis, ipse tute nosli mi Fœlix. Interea nimirum ecclesiæ bona clam surripiunt, religionem antiquam, ipsumq; adeo Deum produnt aduersarijs . Quamuis aliquando & uoce & literis se, quasi rem agant fériō, ostentent : est tamen, ut dixit principū nō minimus, colore, colore, (audifne) colore sunt isthæc omnia. Hæc sanè simulandi dissimulandiq; uerstria, religionem omnem reddit ambiguam, homines impellit ad desperationem, ad Epicurismum, & cum eò prolapsi sint, consequitur demū eos, nullius mendacij pudere, nullius pigere flagitiij aut sceleris . Heu Fœlix, quanta ego hic tibi possem & quam inauditæ facinora recensere, si ita animo uellem indulgere, quam lingua currit prompte? Quātus enim campus, non dic am fenestra hic aperiretur, si de summa fratribus inter ipsos perfidia uellem dicere? ut infinita taceam, unum hoc satis flagitiij habet: atq; perfidiæ, quod cum undiq; res ecclesiæ oppugnantur, tanta tamen sit confratrum inter ipsos & inuidia, & malevolentia, ut

ſæpe ipsum ecclesiæ statum ruere malling, quam uel condonare quippiam confratri, si forte deliquerit, uel illius ſanis consilijs uti, ne tu non altum sapere uideare. Hinc animaduertimus illorum plerosq; uel ſaltem ut confratribus ægre faciant, incutiantq; terrorem, colludere cum ſtarijs, cum illis familiariter uiuere, ad mensam accerſe, cum illis potare, pergræcari, & quiduis aliud eiusmodi facere potius, quam ulla in re ſeſe comem præbere & ſyncerum amicum collegis. Hæc illuſtrari exemplis forſitan facilius, quam plerisq; gratius. Meminimus quendam ex Canonorum grege dicere, cum eius cupiditati confratrum unus & alter obſtitifſet, ſe malle Capitulum in pedes conuerti, ut ruente ecclesia ad fugam paratiōres ſint, quam ad ſuffulciendum. Ab hoc non diſſimile eſt, quod in plerisq; ecclesiarum Cathedris quibus non niſi nobiles fumofas illas ſuas imagines oſtentant atq; offerunt, neminem patiantur uirum doctum in ſuo conſortio, quaſi ſi homines literati in talibus Capitulis locum haberent, nec ignauæ ſuæ, nec ſtultæ nobilitatis opinioni ac peruerſe, ſatis loci futurum. Credunt enim iſti reliquos omnes homines, etiam ſi uirtutis, eruditioñisq; commendatione celeberrimi habeantur, ſeruorum tamen hos loco non nobilium habendos eſſe. Quo etiam fit, ut in iſto genere Cathedrarum, agrestes Fauni, Syluaniq; petulātes atq; impuri, Satyriq; petulci & Centauri, tanquam rerum domini, omnes Ecclesiæ opes ſibi deberi ſolis, Dei ueri cultum, cæterarum

raqp pictatis officia, ut diuina peragere, sacramenta adme
nistrare, docere populum, uicariis committenda esse, hoc
est, hominibus nobilitatis titulo minime tumentibus. Quid
autem o Faelix, de ista personarum discretione, dicturus
est iudex ille minimè corruptus, in ultimo iudicio, ec quid
non? Quonia tu Baro, tu Comes, tu nobilis, uobis igitur
regnū cœlorū debetur, quia putasti uobis omne quod libu-
it licere, scortari, belluari, fœnerari, omni genere uolupta-
tum uoluntari, uenationibus, aleis, sociorumqp coniuuatione
tempus consumere, & otio frui. Inter ea autem Ecclesiæ
negotia, laboresqp & officia, quæ ad Ecclesiæ gubernationem &
ad salutem populi pertinebant, committere mi-
seris illis (ut ipsis uidetur) infimæqp sortis hominibus, ut
uicariis, mansionariis, facellaniis, choralibus, O Reueren-
di patres, itane uobis ad nutū uestrum, imaginamini Chri-
stum? Haecce est causa, cur uobis ecclesiastica benefi-
cia expetenda existimatis? Idcircone tot, tantasqp ecclesiae
dederunt opes maiores nostri? Non arbitror equidem
Si nullus apud Deum respectus est, quæ causa obtendere
potest, ob quam secularia potius ecclesiæ bona admini-
stranda expetitis, quam peragenda diuina mysteria? Cum
si hæc nobiliora, sint nobilibus certè personis potius con-
gruebant, quam illa terrena, quæ sunt omnium hominum
iudicio ignobiliora. Nobilitatis uel maxime olim putaba-
tur, missæ sacrificium summa deuotione celebrare, ad po-
pulum concionari, errores hæreticorum refellere, fidem
afferere

afferere Catholicæ ecclesiæ, bonos mores, honestasq; opera
docere populum, non solum do Arina, sed etiam bono exem-
plo, uitæ ueræq; nobilitatis. Eam ob causam uidemus, ut
quisq; fuerit nobiliore domo natus, tanto nobilioris aliquod
excellentiusq; officium dignitatis obtinuerit in Ecclesia:
Hinc enim Barones, hinc Comites, hinc principes, imo
reges etiam appetiuerunt in ecclesia munera illa imprimis
ardua, Vt Scholastices, ut decanatus, ut Praeposituræ,
ut Episcopatus, similiaq; generis eiusdem. Sed quo ea
nobilium studia deuenerunt: eo scilicet ut cum ipsi & lite-
ras & doctrinam morumq; integritatem odiunt, affe-
cientq; nihilominus primarios illos Ecclesiæ gradus nul-
los homines magis, quam qui his rebus gerendis idonei
sunt, literatos homines & doctos, morumq; sinceritate co-
mendatos oderint, persequantur, atq; sublatos e medio co-
nitantur. Non prorsus inepte nuper quidam, cum uno
aut altero uerbo studia istorum hominū uellet exprimere,
dixit: Isti hominum generi innatum uideri, ut si librum in
mensa uel scanno eruditum uideant, se putent ignem infer-
nalem ardentem uidere: si doctum uirum ac probum, con-
scientiæ suæ male carnificem cernere: si spem reforman-
di Cleri, interitum suum metuere. Adeo enim his pro lite-
ris fastus est: pro honesta sanctioris uitæ, deuotaq; con-
uersatione, Centaurica barbaries: pro munere Ecclesiæ
stico fideliter obeundo sylvestris uenatio, rerumq; tempo-
ralium fastuosa administratio, pro ieiunio helluatio diur-

na atq; nocturna, pro sacerdotali castitate, multorum scor-
torum inquinamenta, pro iustitia subditis administranda,
tyrannica oppressio pauperum sacerdotum ac rusticorū:
pro fortitudine animi qua ecclesiæ iura, possessionesq; de-
fēdi debebāt, blādæ hæreticorū conuersationes atq; cōmu-
nicatæ familiaritates. Deniq; (ut finem faciam) pro hora-
rum Canonicarum breuiario, lusoriorū taxillorum alea:
pro sancto choro pollutus thorax, pro Christo fiscus, pro
Ecclesia taberna, ut pro Deo Sathanam, pro cœlo sem-
piterni gaudij, gehennam æterni supplicij, iam dudum am-
plexi & concupisse uideantur. Ex his sane maioris Cle-
ri peruersis studijs, uide mi Felix quid effectum sit: Nimi-
rum nulla cura Catholici Cleri per seclarios oppressi at-
tingit prælatos, doctrinam ipsi contemnunt, doctos homi-
nes aspernātur, ignauos in consilio accersunt, ex Lutheran-
ici Cancellarij consilio, similiq; pendent Episcopi atq;
prælati: unde tandem fit, ut facere cum aduersarijs præ-
sertim principalioribus malint & conniuere ad hæreses,
quam uel ullum inter uitulos & tauros pingues, stabulari-
um offendere. Ab quantum ego hic syluam præterue-
hor, e' qua si in posterum uoles, nouæ disputationis materi-
am suppeditare potero aliâs. Felix. Tu quidem mi
Syluester omnino satis, atq; abunde etiam, præsertim cùm
hoc colloquium intra parietes bosce nostros cōticescit.
Sed putasne me similia posse planeq; multo maiora tuæ
partis huc producere, si ita collubitum est? Sylvester.

G

Non

Non equidem dubito quin possis, quin ut uelis etiam te
nunc oro. Ne cū tu mea audieris patienter, ego tua exis-
timmer repudiasse. Fœlix. Vt lubet. At uideris tu
quæ distincta sunt confundere, siquidem aliud est de dis-
cordia dogmatum dicere, aliud de perfidia fratrum inter
ipsos: Nam fieri potest, ut, qui in doctrina religionis con-
sentiant, moribus tamen diuersis sint atq; pugnantibus.
Non excuso, imò fateor ingenuè, & mores turpes esse in
Clero nostro, gulam, libidinem, luxuriam, auaritiam, ra-
pinas, ignauiam, crudelitatem in alijs, in alijs fraudes, men-
dacia, perfidiam & similia, ut inscitiam, ut arrogantiam,
& Dei hominumq; contemptum. Hæc sane ut dederim
Syluester non inuitus, nō enim est in plerisq; aliter: quod
dolendum nobis magis q; corrigendum conceditur. Vr-
rum isthæc apud uos non simplicia sunt, sed duplicata pe-
nitus. De perfidia uestrorum inter se complicium, ut mul-
ta quidem possem, ita non nisi pauca placet perstringere,
de discordia doctrinæ dicam postea. Dic quæso mi Syl-
uester an unq; alijs, & in hac Sarmatia nostra, uel in illa
Germania, immanior ulla grassata est perfidia, quam
post renatum istud uestrum Euangelium, quod Lutherus
sub scannis retraxit? Ciues ego hic & rusticos ommit-
tam, nec nunc commemorabo nobiles, sed de summis (si ta-
men licet in priuato colloqui) principibus uiris paucare
feram. Vnde obsecro banc Poloniæ nostram, & cogita-
tecum, de ipsis ne potius regni proceribus, quam de vul-
go

uulgo debeat dici.

Scinditur incertum, studia in contraria, regnum.

Vide quid Radeuellus in Lith: quid in Polonia
Gorgones, ut hic nimium aconiti letiferi est: sic illic cicu-
tæ uenenatae, sed utrobiq; eadē humanæ salutis pernicies.
Tollerandum quidem hoc esset, si inter ipsa capita hæc
pharmaceutria exerceceretur, nisi etiam lōge fūseq; spar-
geretur inter alios primates: unde iam id cōsecutum vide-
mus, ut tot sint factiones paſſim in Polonia, in Prussia, in
Lithuania, (Russiā excipio Mazouiāq; que adhuc ali-
quāto cautius uitāt Germaniæ Prophetas) quot paſſim fa-
miliæ nobiliū reperiūtur. Sed dolore impedior Syluester,
hæc nostra uulnera attingere malo de uicinis colloqui tecū
Meministi arbitror quam arclum amicitiæ uinculū fue-
rit inter quosdam Lutherani Euangelij confederatos:
Fratres appellabantur, socij Christianæ libertatis, euāge-
lij defensores & nutricij. Verum quo iſthæc fraterna so-
cetas deuenit? Euētus patefecit stultorū discipulorū ma-
gister. Sed malo ut historici nostræ etatis eā euāgelicae so-
cietatis fidē celebrēt, quam describi à nobis. Nō obscura
fama ad nos in Poloniā uenit, quam perfidiosa certami-
na de iſtis ipsis euangelij ſfolijs cōcertatim increbuerint.
Qualis enim fuerit, & quam odiosa de Episcopatu Cami-
nensis digladiatio in Pomerania? Qualis non ita multò
post, & quam fœda de occupatione cœnobij Doberle in
Misnia? Placentinū ſanè fuit id bellū, ſed tamen non om-

nibus gaudium paſchale. Quid in Megalaburgo de Epi-
ſcopatu Swerinensi inter germanos fratres? an nihil pu-
tas etiam ad perfidiæ crimen pertinere, dum ſocijs Au-
gustanae confeſſionis, Noricis, Auguſtanis & ſimilibus,
prætextu libertatis Germaniae, arma inferuntur? Quid
quod non ita multum poſt, idem iij male ſociati fratres, ſe-
ſe mutuis cædibus confeſcerunt? Nihil hic interim dico,
de tanta dynastarum inter ipſos diſfidētia, urbiumq; libe-
rarum inter ſeſe mutuis odijs, quanctæ antebac nunquam in
Germanis comperta eſt hominibus. Sed mittamus iſta:
uel hæc, que inter theologos nunc agitantur, ducesq; ſeſtarum
diſſidia, abunde ſufficerint ad explendum omnem
perfidiæ cumulum. Quæ enim nunc prouincia (quid dico
prouincia) imò que urbs, quod oppidum (intrabo adhuc
penitus) qui uicus, aut domus eſt, que non mutuis fit di-
ſtraſta diſſenſionibus, propter priuata ſtudia ſeſtarum?
Quarum duces fortaffe, niſi moleſtum eſſet recenſere ali-
quomodo poſſemus, comitatum uero, ipſasq; cateruas nullo
modo: infinitæ ſūt enim. A domesticis ordiar. Audisti
enim Pinczouiæ quid ageretur, reuiuiscunt hic apud nos
hærefes complures iam olim damnatæ. Sunt qui illorum
hæreticorum, qui triformes olim dicebantur resuſcitant
opiniones. Meminimus Stancarum in publica diſputatio-
ne in Regiomonte Boruſſorum affirmare palam, ſe non
dubitare, quin liceat Christianis, cum patrem pronunci-
ent & filium & ſpiritum sanctum, tres eſſe deos dicere.

Huic

Huic sectæ se se opponunt ex diametro Seruetiani: quæ
dum ex disciplina Arrianorum Mahometanam insa-
niam accersunt in Christianismū, adeo quidem unitatem
Dei propugnant, ut trinitatem deridentes, clamant nos
tricipitem Cerberum habere pro Deo. Ad hanc diuinæ
nominis contumeliam, non parum momenti Illyricani ad-
dunt in Saxonia: negant etenim hoc recte dictum à san-
cto Ioanne καὶ Θεόστιῳ ἡγέροντι, negantq; hoc in loco,
ἢ πλόγον significare personam: itaq; quemadmodum Sa-
mosatenus, ita ipse Arrius, nec secus nūc Turcæ, Sar-
raceni & Iudei. Thomas Munzerus, cum legisset in li-
bris Lutheri de captiuitate Babilonica, & contra duo
mandata Cæsaris, nullam esse spem remedij, nisi omnibus
humanis legibus extincjis, populus regnet, & Deum ro-
gandum ne subditi obedient suis Magistratibus: mouit il-
le per totam Germaniam rusticos contra principes, præ-
lijsq; passim commissis, perierunt ultra centum millia ru-
sticorum. Item quia legerunt quidam ex epistola Lutheri
ad Vældenses scripta: quod præstet baptisnum in paruu-
lis omitti, quam eos baptizari absq; fide ipsorum. Hinc
uariae exortæ sunt sectæ Anabaptistarum, quarum ha-
præcipuæ numerantur. A' damitæ, qui A' dæ innocē-
tiæ imitari se dicunt: in sylvis uagantur, & non nunq; pror
sus nudi, sicut Adam & Eva. Stebleri, qui docent
quod scriptura uetus portare gladium & peram, quod
non liceat Christianis accusare in iudicio, quod uim ui-
repel-

repellere nō sit Christi anū sed percutiēti in unā maxillā,
alteram obuerti debere. Hoc docuit Lutherus in arti-
culis à Sorbona damnatis. Sabbatarij, qui Sabbatum mo-
re Iudæorum colunt, diem dominicum aspernantur. Solūq[ue]
patrem inuocant, filium & Spiritum sanctū uidentur ne-
gligere. De his Lutherus libro cōtra Sabbatarios. Clan-
cularij, qui existimāt sibi licere, si rogentur an sint Ana-
baptistæ, se esse negare, satis omnino si ipsimet clā, quid cre-
dunt sciant. palam confiteri non esse opus. Et hi sunt fre-
quentes in magnis urbibus: nulla tēpla intrant, domi se su-
osq[ue] docēt, aut in hortis conueniunt. Manifestarij, qui aiūt
impium esse, si, cum rogentur, se quod sunt, negent esse A-
nabaptistas. Dæmoniaci, qui credunt etiam Dæmones,
sicut quondam Origenistæ, saluatum iri post finem huius
seculi. Communia habentes, qui & uxores & liberos &
omnia sibi in repub: communia esse debere arbitrantur: si-
cūt Plato in sua repub: instituit, & olim Nicolaitæ, &
nuper Monasterienses Euangelici prophetæ. Concupi-
scit spiritus meus, inquiunt, carnem tuam. Vēni itaq[ue] so-
ror chara & faciamus mirabilia. Condormientes, qui
iubent præ nimio noui Euangelij amore debere, uiros &
fœminas, iuuenes ac uirgines uno in loco ac conclavi, &
uiuere, & in eodem cubiculo dormire. Velut quondam
in Burgundia, & in Bohemia deinceps Grubenhaimeri
faciebant: qui extinctis luminaribus, dicebant ad omnes
promiscue: Crescite & multiplicamini. Eiulantes qui
putant

putant nihil esse deuotionis, Deo quod placeat uehementius, quam flere semper atq; ciulare. Georgiani Dauidci, qui anno 1525. in Frisia exorti sunt, negat esse dia-
bolum, negant carnis resurrectionem. Mennonistæ, qui
negant Christum sumpsiisse ex Maria uirgine carnem.
Polygamistæ, qui docet licere uni viro habere uxores plu-
res eodem tempore. Item licere fratri uxorem uiui fratris
ducere. Sicut Ioannes Leyden, Rex Monasteriensis, et
Lutherus, in ea edita contione, ubi ait: Si non vult uxor
ueniat ancilla. Iam uero Carolostadius & Zuinglius,
ut antiquam hæresin Berengarianam resuscitarent, sum-
pserunt materiam, ex his dictis Lutheri, cum scribit in as-
sertionibus contra Leonem Papam, & in formula mis-
sæ: Neutra species necessaria est ad salutem. Item in re-
solutionibus sola fides sacramenti iustificat, non sacra-
mentum. Atq; hinc iterum uariæ sacramentariorum se-
cta exortæ. Significatiui, qui affirmant, non uerum cor-
pus esse in cœna domini, sed corporis signum tantum. Tro-
pistæ qui aiunt figuram corporis esse in cœna domini, non
uerum corpus. Energici uestri, qui docet non ipsum cor-
pus, sed uirtutem corporis esse in cœna domini. Arra-
bonarij, qui uolunt cœnam domini, cum ea præbetur, dari
tanquam arrabonem corporis, & quasi inuestituram do-
nati prædij, aut domus alicuius. Ita uester Stancarius
nuper hic in Polonia, & nūc in Trässyluania. Adesse-
narij, quorum iterum quatuor diuersæ sectæ reperiuntur.

Alij

Alij enim cōtendunt quōd corpus domini sit in pane: alij quod circa panem: alij quod cum pane: alij quod sub pane. *Syluester.* His adiūcet *Vratislauienses.* *Fœlix.* Quid dicas? *Syluester.* Accepi nuper ab amico mihi missum libellum *Latinogermanicum*, Capita *Ca-*
techismi inscriptum, editum *Vratislauie anno 1560.*
ubi pij Euangelici, neq; in pane, neq; circa panem, neq; cū pane, neq; sub pane dicere uolunt: sed nouo dicendi modo,
dicunt Christum in cœna pane & uino, corpus & san-
guinem suum offerre ac donare participantibus. Et ne
quis arbitretur errore typographi omissam aliquam ista-
rum præpositionum, è regione in Germanico prorsus nul-
lam faciunt panis & uini mentionem. *Fœlix.* Vi-
dentur Galuinizare, aut Suenckfeltizare, et eos externo-
rum signorum pudere, *Syluester.* Ita prorsus. *Fœ-*
Sed audi obsecro reliquos sectariorum greges. Ad sa-
cramentarios pertinent Metamorphistæ, qui assuerant
Christi corpus postq; ascendit in cœlum, plane Deum es-
se factum, omninoq; propriè dici debere, corpus Christi
est Deus. Cum ergo queritur, quomodo corpus domini
ad sit in cœna dominica, respondent, adesse quidem uerum
corpus, sed tale corpus tamen, quod iam sit diuina essen-
tia & Deus simpliciter, non caro humanae naturæ con-
substantialis. Ita scribit Schuenckfeldius in multis libris.
Iscariotistæ, qui negant à Iuda Iscariote uerum corpus
Christi, acceptum in cœna domini. Neutrales, qui docent
quod

Quod neq; una species, neq; utraq; sit necessaria: solum si-
dem sufficere. Itē, quod si concilium statueret sub utraq;
specie communicandum esse, tum contra, aut sub una spe-
cie debeant laici communicare, aut etiam utramq; rejice-
re. Lutherus hæc docuit, et est communis praxis Lu-
theranorū: quo fit, ut quam plurimi intra decem aut uiginti
annos non accedant, alij etiam nunquam. Sunt Iconocla-
stæ, qui Christi Domini, & omnium sanctorum imagines
e templis ejiciunt, suas autem atq; suarum uxorum effigies
pulcherrime & amatorie depictas, reponunt: sicut quon-
dam fecit Simon Magus & ipsius pellex Helena, ut te-
statur Nicephorus.

Sylvester. Vidi nuper in tem-
plo iuxta beatæ uirginis positam imaginem uiri cuius-
dam habentis poculum uino repletum in manu.

Felix.

Iam audi qualem Augustana confessio, doctrinæ fecerit
concordiam. Confessionistarum sunt tria genera, quorum
primi sunt, Rigi & Stoici Lutherani, qui citra dele-
ctum, omnes Lutheri absurditates defendunt, nihilq; po-
tuit Lutherus tam rancidum & fœdum dicere, quod illi
pro sacro sancto & puro Dei euangelio non prædicent.
Deinde sunt molles Philosophi & ^{etiam} ^{etiam} qui à Lu-
theri dogmatibus plurimum recesserunt, & dum ex libro
Interim, aliquantulum se proprius ad Catholicos adiun-
gere uelle simulabant, ex uno errore in alium & que' gra-
uem, & priori contrarium collapsi sunt, alicubi ex Ma-
nicheis facti Pelagiani. Tertium genus extravagantes

H

posse.

possimus dicerē; qui tamē si uolunt pro Confessionistis haberi, propter autoritatem principum, qui ei confessioni nomen suum dederunt, re ipsa tamen longius uagantur à placitis Lutheri, quām cetera turba confessionistarum.

De rigidis audi initio. Antinomi, sunt qui adeo efferunt euangelium, ut negent legē Dei prorsus utilē esse, neq; ante, neq; post iustificationē esse necessariam: homines euangelicos non obligari ad bona opera diuinæ legis. Samosateni, de quibus initio, qui negant apud Ioannem hanc uocem διάγος, personam diuinæ Trinitatis significare.

Infernales, qui negant esse infernum, & Christum descendisse ad inferos: contenduntq; suum cuiusq; sepulchrum uocari Hebraice infernum: Quod ergo Christus dicitur ad infernum descendisse, de ipsius sepulchro intelligendum esse: Ita docent pleriq; in maritimis ciuitatibus, Bremæ, Hamburgi, Lubecæ & alibi. Ita quoque non obscure sentire uidetur Brentius. Infernales alij, qui affirmant Christum non modo descendisse ad inferos, sed eternos quoq; inferni cruciatus perpessum esse. Ita docet Ratisponæ Nicolaus Gallus, & Iacobus ille Smidelinus cum clipeata manica, Goppingensis præco, & Calvinus.

Antidemoniaci, qui negant esse Diabolum & malos spiritus, nec ullas esse incitationes aut maleficia per Dæmones concitata. Ita docent Georgiani Dauidici, & Andreas Osiander. Amsdorffiani, qui affirman, quod bona opera sint ad salutem homini pernicioſa.

Ita scribit Nicolai Amisdorff in libello, cui titulus
est: Quod hæc propositio uera sit, bona opera esse perni-
ciosa ad salutem. Ita Flacciani & multi alij Saxonici
prædicantes docent & scribunt. Antidiaphoristæ, qui
nullas uolunt esse in Ecclesia cærimonias antiquas, nul-
lam Episcoporum iurisdictionem. Ita Illyricani siue
Flacciani. Antofandrini siue Osiandromastiges, qui
negant quidem hominem ea iustitia, qua Deus ipse iustus
est essentialiter, iustum fieri, sed illum imputatiue, id est,
ut Illyricus glossat, non re ipsa, sed uerbo tantum iustum
pronunciari. Quatuordecim Lutheranæ Ecclesiæ scri-
perunt contra Osiandrum, sed quælibet illarum, aliam
iustitiae definitionem, alijs p̄ prorsus contrariam affere-
bant. Vide Fundij scriptum de origine Osiandrine litis
contra Staphylum. Antisueneckfeldiani, qui omnem fidei
Christianæ causam rationemq; ponunt in uocali ministe-
rio suorum concionatorum. Anticaluiniani, qui tametsi
reacle afferunt, realem præsentiam dominici corporis in
coenam domini, tamen falso negant, translementationem, &
adorationem, falso afferunt, extra usum non esse sacramen-
tum. Manusimpositorij, qui laicalem impositionem manu-
um uolunt esse sacramentum. Grassatur hæc secta in Sa-
xonia, & Pomerania, & in ciuitatibus maritimis. Bi-
sacramentales, qui tantum duo admittunt sacramenta.
Sacerdotiales, qui docent, quod & uiris & mulieribus,
laicis p̄ hominibus, liceat in Ecclesia uerbum Dei præ-

H ij dicae

dicare, sacramenta administrare, soluere & ligare: omnes enim homines aequaliter esse sacerdotes: sacros ordines esse fabulam, & commentum humanū. Ita Lutherus in libro de Captiuitate Babylonica & Illyricus in sua apologia contra Menium. Inuisibiles, qui docent nullam Ecclesiam esse uisibilem, siquidem solus Deus norit qui sunt ip̄s ius. Ita Lutherus & Melanthon initio, ut est in Apologia Augustanae confessionis. Sed hunc errorem licet ipsi tacito retractarint, eum nihilominus retinent Illyricani, Suenckfeldiani, Osiandrinii, Anabaptistæ. Secunda secta Confessionistarum, in qua sunt, ut supra dictū est, molles illi philosophi, & Vitebergenses theologi. Qui vero uolunt, & mansueti, hominesque præ cæteris sunt enim sectarij plerique omnes seditionis & cordatiiores uideri, & quoquo modo, cum omnibus alijs sectis pacem colere. sicut quondam Melitianij, & Rethorij. Bibliistarū qui assuerant nihil recipiendum legendumque, aut propo- nendū populo in ecclesia, uel in scholis iuuentuti, præter so- lum ac nudum textum Bibliorum, interpretatione opus non esse, quia omnes simus diuinitus à Deo edociti. Ita scribit Melanthon ad Georgium Spalatinum in præfatiōne in Apostolorum Canones. Item nec descendas esse ullas philosophicæ artes, Cum Paulus ueteret in anem philosophiam seclari: Contra quia scriptum à Mose, ut homines uescantur in sudore uultus sui panem suum. Quā obrem cum Lutherus in sua esset Pathmo, persuaserūt Carol.

Carolstadius & Philippus Vitebergensibus schola-
sticis, ut combustis humaniorum literarū librīs, sibi quisq;
conueniens aliquot assumeret mechanicum opificium. Fe-
cerunt pleriq; quod erat suassum. Carolstadius in proxi-
ma quadam villa Vitebergensis agri, agricola factus
est & rusticus: Philippus uero in pistrino pinsendi ar-
tem meditabatur. Hoc tantorum theologorum decretum
fuse longe q; dimanauit in plerasq; urbes Germaniae. Et
ut reliquas taceam, scimus Vratislauiae & Suidniciae
in Silesia biennium ludos literarios occlusos fuisse, &
plane extintos, nec quicquam ab istorum sectariorum di-
scipulis lectorum, præter textum sacræ scripture. A dia-
phoristæ, qui Ecclesiæ & sacrorum Conciliorum legit-
imas constitutiones & cæremonias dicunt res esse indif-
ferentes, quas siue serues siue uoles, mutesue, te nihil pec-
care. Ita Vitebergenses & Lipsenses theologi. Tri-
sacramentales, qui tria tantum sacramenta recipiunt, ba-
ptismum, coenam domini, absolutionem. Ita in Lipsensi di-
strictu praxis est. Quadrisacramentales, qui recipiunt
quatuor sacramenta, baptismum, coenam domini, absolu-
tionem, sacerdotium. Ita ex locis communibus Philippi
tenetur in districtu Vitembergensi. Lutherocaluiniani,
qui simulant, belle Lutheranis cum Zwinglianis conve-
nire in re sacramentaria, conantur q; hominibus persuade-
re esse tantum logomachiam, non de re certamen. Vide
de coena domini librum Smidelini clipeati. Vide etiam

Nic: Amsdorium in sua confessione, qui fraudem istam
Smidelini grauiter reprehendit. Semiosiandrini, qui af-
firmant contra Osiandru pro Antosiandrini, in hac vi-
ta imputatiue haberi hominem iustum: Vt cōfīsīmū contra
Antosiandrinos pro Osiandro affirmant, in futura vita
hominem oportere eadem iustitia, qua Deus essentialiter
iustus est, iustum re ipsa fieri. Ita sentiunt Tūbingenses
theologi: uide ducis Prūsiae librum de hac Osiandri con-
trouersia editum, & ipsius Brentij epistolam ad suum
Principem, de eadem controuersia scriptam, editam
Vitembergae Anno 1552. Maioristæ, qui negant
illum hominem (etiam infantes) iustū fieri posse, aut unq;
saluatum fuisse absq; bonis operibus præcedentibus. Ge-
orgius Maior in multis aduersus Illyricum scriptis,
Pœnitentiarij, qui septem craſſissimos errores immiscue-
runt doxæ de pœnitentia. Illyricus sic accusat Vt-
tēbergenses & Lipſenses theologos in suo scripto contra
euangelij corruptelis, edito anno 1559. in oppi-
do Lenæ. Noui Pelagiani, qui affirmant posse hominem se
ad recipiendam gratiam Dei ex puris naturalibus ui-
ribus disponere. Ita Illyricus accusat Melanthonem in
eodem scripto, & Amsdorfius in sua confessione. Syn-
cretizantes, qui suadent omnibus alijs seclis, ut simulene
saltē interea domi pacem, quando ueram concordiam
inire non queant, & more Cretensis populi, eo coniuctio-
ribus armis suos cōmunes hostes (papistas nimirum) inuita-
dere

dere possint, atq; superare. Ita scribit & docet Melan-
thon in suo contra Staphylum libro. Tertia Confessioni-
starum secta, in qua sunt extravagantes, qui tametsi do-
ctrinam Augustanae Confessionis non obscure oppugnēt,
tamen greges istorum prophetarum, sub Augustanae cō-
fessionis prætextu se pro Lutheranis gerunt. Suenckfel-
diani hactenus unius prope opinionis fuerunt: iam autem
cuperunt etiam scindi in diuersas partes. Aliud enim
de eisdem dogmatibus sentiunt Vratislauenses Suenck-
feldiani, dum hoc in Suenckfeldio probant, illud reijci-
unt: Aliud Swidnicenses, qui eos Suenckfeldianos, quod
baptismum appellant, ein seu bat, id est, suillum balneum,
reprobant. Aliud Glogouienses, qui suo etiam spiritu
metiuntur scripta Suenckfeldij. Sed propria hæc &
summatim dogmata eius hominis sunt: Humanam natu-
ram Christi esse genituram spiritus sancti, non Dei cre-
aturam: quasi medium quiddam, inter creatorem Deum,
& creatorem hominem. Ita ipsius libri copiose testan-
tur. Item quod ea iustitia, ea sapientia, ea charitate, eisq;
omnibus uirtutibus, quibus Deus essentialiter præditus
est, quilibet homo sit etiam ex pari dignitate & moda
præditus, atq; hac ipsa diuina natura Deus. Item, quod
energia illa, quæ est in uerbo Dei prædicato, sit ipse Dei
filius, ὁ λόγος &c. Osiandrini, qui aiunt Christum
iustificatorem esse humani generis iuxta solam ipsius di-
uinam naturam, exclusa humana; qui item, quod hominem

Chri-

Christianum, prorsus eadem iustitia, qua Deus essentia
liter iustus est, iustum esse oporteat: & alia multa. Stan-
cariani, qui contra Osianum asseuerant, Christum esse
iustificatorem, iuxta solam humanam naturam, exclusa di-
uina. Antistancariani, qui ut Stancari istam opinionem
refutarent, asseuerant Christum iuxta utramque, hoc est, et
diuinam et humanam naturas, iustificatorem esse: ut non dubi-
tet contendere, diuinam Christi naturam unam cum humana
in cruce mortuam esse. Ita Musculum sentire testatur
scriptum Petri uestris Statorij, editum nuper Pinczouie.
Noui Pelagiani, qui dicunt non esse in paruulis pecca-
tum originale: sed esse morbum quendam non morte da-
mnandum. Ita Zwinglius in libello de baptismo contra
Urbanum Regium. Item quod Numa, Cato, Scipio,
& similes praestantes uiri ethnici, quamuis caruerint uera
fide uenturi Christi, saluos tamen factos uirtute legis na-
tur.e. Idem Zwinglius ibidem, & Lutherus Zwinglia-
nis hoc exprobrans, in ultima sua confessione de cœna do-
mini. Noui Manichei sunt & fuerunt uarij authores
hoc seculo nostro, primus Lutherus, deinde Melanthon,
& Caluinus, multiq; alijs præterea, Amsdorius, Illyri-
cus, Gallus, Beza, Vesphealus, Lutherus & Melan-
thon, quod omnia tam mala, quam bona eueniant ex abso-
luta necessitate: adeoq; quod Deus non solum causa pec-
cati permisive, sed effectiue etiam. Item, quod adulte-
rium Davidis & fœnitia Manilij, & proditio Iudei,
& que

et que sint Dei opus, atq; ipsa conuersio Pauli. Me-
lunthon quidem hoc dogma retractauit, ut uidere est in
ultima editione locorum cōmuniū: Lutherus uero man-
sit constans in errore, quem etiam nunc pertinaces sequin-
tur. omnes Lutherani rigidi, Illyricus, Amsdorſus,
Gallus, & alij. Manichæi & Marcionitæ, Caluiniani,
qui hæc iſta, quæ iam recensebo, & in Deum & omnes
creaturas blasphemam spargunt, authore Ioanne Caluino,
Quorum hæc dogmata nuper in lucem edita sunt.

Quod Deus potissimè crearit genus humanum ad per-
petuam damnationem & interitum. Quod Deus
ad am crearit non modo ut interiret, sed etiam quod il-
lum ab æterno ad exitium prædestinarit, ideoq; illum ne-
cessario peccare oportuerit. Quod peccata, quæ homines
faciunt, non modo Deus permittat fieri, sed etiam fiant
Deo uolente & impellente. Quod omnia peccata, quæ fi-
unt ab hominibus, sint omnino opera Dei simpliciter.
Quod nullum furtum, nulla scortatio, nullum adulterium
fiat ab homine, quod Deus non efficiat in homine. Quod
& lex Dei & uoluntas Dei sæpe sint inter se contraria.
Quod Diabolus, iubente & uolente Deo, mentiatur in
cordibus humanis. Quod Deus non solum causa sit om-
nis mali, sed etiam quod hominibus, ut mala operentur,
malas cogitationes in cordibus illorum inspiret, adeoq;
ut non homines peccent, sed Deus sit efficiens & uolens

peccati. Vide librū Ioannis Caluini de prædestinatione
et defensionem Theodorei Bezae, pro eodem Caluino.
Sed prolixior sum Sylvester, quam uel ego promisi ab i-
nitio, uel tu recepisti: Condonabis autem garrulitatem
hanc mihi: feruore enim partim, quia inferbuit oratio,
partim ingenti animi dolore hæc potius profundo, quam
promo. Vide enim Sylvester, uides inquam, quos fructus
nobis ediderit hoc quintum euangelium, nuper in Germania
sub scanno retractum. Eo res rediit, ut uere nobis li-
ceat, hæc subinde non canendo, sed gemendo carmina re-
cittare.

Ouid: 11.
Metra:

Protinus irrupit, uenæ peioris in æuum,
Omne nefas fugere pudor, uerumq; fidesq;
In quorum subiere locum, fraudesq; doliq;
Insidiaq; uis, q; amor sceleratus habendi.
Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non sacer à genero, fratrum quoq; gratia rara est,
Imminet exitio uir coniugis, illa mariti. Et quœ se-
quuntur præclara reliqua. Non medius fidius solum
hoc adulterinum Lutheri euangelium ferream nobis ad-
duxit, quæ fortasse esset tollerabilis, sed plane feralem a-
tatem, quæ extremo exitio proxima est. Præ dolore Syl-
vester, plura de moribus tam nostræ, quam uestræ partis,
colloqui non libet. Sylvester. Nec certe mihi isthac
commemoratio communium uitiorum utriusq; partis tam
iucunda.

iucunda fuit, quoniam à te recitata es, quam uchementer
acerba, quoniā aperuit omnem huius seculi pestem atq; in-
teritū. De quo sane nobis conqueri licet ó Fælix, cū mede-
ri huic malo non possumus. Me quidem certè nihil efficac-
tius consolatur, quām quod uideor mihi præuidere, diem
instare extremi tēporis. Fælix. Eſſet forſitan iſthāc
consolatio non minima Sylueſter, ſi certum aliquid, ex-
preſſumq; ea de re extaret in ſacris literis. Me igitur
in hiſce turbis, flagitioſiſimisq; huius ſeculi moribus, eri-
git atq; consolatur, quod certo poſſum ſtatuerē, me eſſe ci-
uem Catholicæ Eccleſiæ. Nam tametſi me eo in numero
baud ignarus poſuerim, in quo merito omnes ſe debent
Chriftiani ponere, quippe ut meminerint ſe prius debere
trabem ex oculo ejcere ſuo, quām festucam ex proximi:
nullo modo tamen ob id mihi dubitandum cenſeo, me cer-
tam tenere fidei catholicæ regulam, ſi doctrinam Catho-
licæ Eccleſiæ non deſeruero, quam ut ſeruem perpetuo
firmiter: Tenet me(ut inquit diuus Augustinus) conſenſio Contra fun-
populorum atq; gentium, tenet authoritas miraculis incho- damentū Ma-
ata, ſpc nutrita, charitate aucta, uetustate firmata: tenet nichæ.
ab ipſa ſede Petri A postoli, cui pafcedas oues suas
poſt resurrectionem dominus commendauit, uſq; ad præ-
ſentem Epifcopatum ſuccellio ſacerdotum: tenet poſtre-
mo ipſum catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam
multas hærefes, ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut cum om-

nes haeretici se catholicos dici uelint, querenti tamen per
regrino alicui, ubi ad catholicam conueniatur, nullus haereticorum uel Basilicam suam uel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta Christiani nominis charissima
uincula, recte hominem tenent credentem in Ecclesia Catholica. Haec enim Augustinus. Et ut hinc demum Syl-
vester, sermonem hunc nostrum concludam breuiter, fateor equidem in hac ipsa, cuius modo diuus Augustinus
meminit, Catholica Ecclesia, multa succreuisse zizania,
nec minus paucos in hac sagenā malos pisces esse, quam
bonos, et fortasse plures etiam. Sed eam ob causam ne
hunc catholici populi consensum deferere debo? uerat
sanē Christus haec zizania runcare, et ut crescant usq;
ad messem, iubet finere. Hoc cum Dei mandatum sit, ma-
neo in Ecclesia constanter, ac fero prauos Cleri mores
patienter. Hoc enim Charitatis christiana munus est,
ut patiens sit et benigna: Charitas enim non æmulatur, non
agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit
qua sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet
super iniuitate, Congaudet autem ueritati. Omnia
suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: Et
quod prius dictum oportuit. Si linguis hominum loquar,
et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum
uelut æsonans aut cimbalum tinniens. Et si habuero pro-
phetiam et nouerim mysteria omnia et omnem scientiam,

Et

¶ si habuero omnē fidem, ita ut montes transferam, cha-
ritatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero
in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero
corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habu-
ero, nihil mihi prodest. ¶ tautem mihi prodesse possit, in
charitate ut maneam necesse est, quæ uinculum est con-
cordie ac unitatis in Ecclesia. Cuius quamvis multa ui-
deo uulnera, & mortua membra, exire tamen ex ea nolo
cam ob causam. Nec profecto alium in finem, quæcunq; à
nobis commemorata sunt, de prauis cleri populiq; mori-
bus, accipienda arbitror, cum forsitan de utraq; parte
dici non falso possit.

Iliacos intra muros peccatur & extra.

Sed quid hæc ad doctrinam? Alia enim oratio est ue-
ritatis, alia honestatis ac uitæ, ut philosophus inquit. Itaq;
ut ueritatem pertinax defendam in doctrina Catholicæ
Ecclesiæ, sic nullo modo probauero uitæ turpitudinem in
clero, nec propter hanc, illam quoad uiuam, adiuuante
Deo, deseruero. Imò uero cum uideo prauos prælatorum
mores, cum illo Iudæo magis in catholicæ fide confirmor.
Syluester. Quem Iudæum narras? Fœlix. Memi-
ni me aliquando legere, puto apud Bocatiū, de quodam
Mercatore Florentino, qui habuit intimæ familiarita-
tis quandam Iudæum, quem, ut esset perpetuo stabilis, &
firma amicitia, conabatur ad fidem Christi conuertere,

Quod ut baptizaretur nūquper destitutus hortari. Iudaeus post mul-
tas moras, quas ne cœbat: dixit se priusquam baptizaretur
religionis Christianæ arcem uisere uelle urbem Romam,
et considerare uicarium Christi, et eius curiam inspi-
cere, Cardinales uidere et patriarchas et archiepisco-
pos, Episcopos et reliquos patres christiani populi. Flo-
rētinus uero cōtra, ut prius fidē Christi profiteretur, et
baptizaretur instabat. Metuens ne cum luxum, fastum, et
auaritiam multorum ibi uideret prælatorum, scādaliza-
tus à bono proposito retrocederet. At cum nullo modo
persuaderi sibi aliud sineret Iudaeus, ipsum dimittit mœ-
stus. Proficiscitur, et lustratis Romæ diu multumque
omnibus, reuertitur, ipsum mercator dubius excipit, quid
uiderit interrogat, et quid placeat curia. Bene inquit,
Iudaeus, omnia. Nunquid adhuc ut antea, cupiat bapti-
zari. Imò uero uehementer, aiebat. Pergit mercator iam
latior factus, interrogare offenderintne illum mali plero-
rumque prælatorum mores? Nihil, respondet Iudaeus,
imò se in hoc uidere Christianorum fidei stabilitatem ac
firmitatem. Nisi enim inquit, fides Christiana res esset
diuina, nullo modo per tot seculorum curricula, istis gu-
bernatoribus stare potuisset incolumis. Syluester.
Quanquam mi Fœlix, adhuc in multis mibi tecum est de
doctrina dissidium, sic tamen sentio, sic iudico, si doctri-
na Christianæ certitudinem ex moribus aut populi uo-
lemus

lemus aut cleri metiri, nos semper de stabilitate fi-
dei nostræ dubitare oportere. Id autem ne contin-
gat, assentior tibi equidem, nec alio in hunc animo sermo-
nem incidi, quam ut quereremur non de authoria
tate Christianæ fidei, sed quereremur poti-
us de impuritate, fœdisq; moribus. Et
hæc cum dixisset Syluester, recte
ad cœnam uterque.


F I N I S.




• R. annulata var. ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• I. d. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• S. g. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• C. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• A. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• L. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• G. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• M. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• T. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• E. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• N. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• P. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• F. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• D. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• H. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• J. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• K. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• L. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• M. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• N. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• O. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• P. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• Q. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• R. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• S. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• T. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• U. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• V. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• W. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• X. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• Y. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~
• Z. annulata ~~annulata~~ ~~annulata~~ ~~annulata~~

• 121







65
I
795307-8

